Libellus περὶ ἑρμηνείας qui Demetrii nomine inscriptus est quo tempore compositus sit.

Dissertatio inauguralis

quam

auctoritate amplissimi philosophorum ordinis

in academia Kiliensi

ad summos in philosophia honores rite capessendos

scripsit

Felix Beheim-Schwarzbach

Ostroviensis.

Adversariorum partes suscipient:

Franciscus Ahlgrimm, Drd. phil.
Carolus Oelschlaegel, Drd. phil.
Julius Schmedes, cand. phil.

KILIAE.

Ex officina H. Fiencke.

MDCCCLXXXX.

Rectoratsjahr 1889/90.
Nr. 21.

Imprimatur
Dr. G. Glogau
h. t. decanus.

FRIDERICO BLASS

pietatis ergo.

Partitio.

Hanc dissertatiunculam postquam typis tradidi, Altschulii libellum nuper de eadem re scriptum accepi. (A. Altschul: de Demetrii rhetoris aetate Lips. 1889). qui sibi proposuit, ut librum *περὶ ἑρμηνείας* post Dionysium Halic. compositum esse demonstraret nec non assecutus est mea sententia, quod appetebat. re ipsa factum est, ut compluries mea sponte eadem argumenta in disputationem vocaverim, quae ab Altschulio ante esse arrepta nunc comperio. laetor certe, quod ab iisdem saepius principiis profecti ad similem exitum pervenimus.

Libellus περὶ ἑρμηνείας, qui Demetrii nomine inscribitur, qua aetate compositus esset, viri docti iamdudum inter se certaverunt neque eo perventum est, ut eadem sententia omnibus probaretur. nomina eorum, qui de libello isto sententias dederunt, a Liersio et Hammero exordiis dissertationum[1]), quas nuper scripserunt, accurate collecta snnt. unde elucet opiniones doctorum longe inter se distare: erant enim, qui libellum Demetrio Phalereo addicerent; alii contra sub Antoninis scriptum eum esse arbitrabantur. nec minus dissentiebant, quanti aestimandum esset auctoris ingenium: nam cum alii libellum π. ἑ. summis laudibus efferrent (ut Petrus Victorius), ab aliis Demetrio Phalereo plane indignus censebatur (ut a Schneidero). is, qui ex hac iudiciorum diversitate coniciat libellum neque optimum neque vilem, sed mediocrem esse, manifestissime erraret: continet sane libellus π. ἑ. et optimas partes et viliores; neque qui plurimum laudabant neque qui acriter vituperabant, videntur libellum ad totum aequabiliter spectavisse, sed laudatores ad locos meliores, ad viliores partes ii, qui vituperabant. nescio an simili causa acciderit, ut de aetate libri iudicia inter se distantia viri docti facerent; libellus sane alibi simplicitate prisca utitur, alibi redolet subtilitatem pusillam hominum posteriorum. ii viri docti, qui ad rem proxime aggressi sunt, Liersium dico et Hammerum, quamquam inter se doctissime disputaverunt, tamen neque alteri alter de libelli π. ἑ. auctore et aetate persuasit, neque, ut videtur, hominibus plerisque nostratibus rhetoricae veteris peritis; R. Volkmannum modo,

---

[1]) H. Liers: de aetate et scriptore libri, qui fertur Demetrii Phalerei π. ἑ. Breslau 1880. contra quod opusculum Liersii adversatus es Hammer in commentariolo, quem inscripsit: Demetrius π. ἑ. ein literart historischer Versuch. Landshut 1882—83. Hammerum rursus impugnavit in altera disceptatione Liers: Zur Geschichte d. Stilarten. Jhrb. f. Philol- 1887, Bd. 135, pg. 681. sqq.

arbitrum illum quidem gravissimum, video Hammeri sententiam secutum esse [1]). si post talem virum, quid equidem iudicem, profiteri licet: mihi neuter persuasit, ut sequar. qua de causa rem denuo tractare audebo.

oportere autem censeo de virorum illorum dissertationibus doctrina scientiaque refertis disputare atque inquirere, quid de eorum argumentis iudicandum sit. officium deinde videtur explicare, qui evenerit, ut ambo ex argumentis iidem varia iudicia duxerint. Liers enim Demetrium Phalereum auctorem putat, cum opinionem traditam argumentis novis affirmare moliatur. Hammer autem ca. C. annum a. Chr. scriptum esse libellum π. ἑ. a rhetore quodam, cui idem nomen Demetrius fuisset, demonstrare studet. horum sententias percurrens compluria argumenta tangam, ex quibus mihi quoque fructus percipiendi erunt.

ac primo loco de nomine auctoris quaerendum est. traditur enim sane nomen Demetrii Phalerei quasi auctoris libelli π. ἑ. in codice Parisino (XI scli.), qui fons ceterorum codicum libelli est. cuius in fronte haec leguntur: *Δημητρίου Φαληρέως περὶ ἑρμηνείας ὅ ἐστι περὶ φράσεως.* Spengel [2]) (in editione sua Rh. Gr. III pg. 259) uncis inclusit verba: *Φαληρέως* et *ὅ ἐστι περὶ φράσεως*, ita ut relinqueret: *Δημητρίου περὶ ἑρμηνείας.* quid enim? nonne haec eadem verba titulus in fine codicis iteratus continet? deinde titulum, qui in principio opusculi est, eo minus confidemus esse integrum, quia alii quoque tituli, qui insunt in eodem codice, dubitationes quodammado nobis iniciunt: velut is, qui arti rhetoricae Ps.-Dionysiacae praescriptus est: *τοῦτο τὸ μονόβιβλον, οἶμαι, Διονύσιος ὁ Ἁλικαρνασσεὺς συνέταξεν*, atque is, qui sequitur: *Μενάνδρου ῥή-*
ἡ ου
τορος Γενεθλίων διαίρεσις τῶν ἐπιδεικτικῶν. (literas insuper additas scripsit man. sec.). neque modo librarii dubitaverunt, num recti an falsi tituli essent, sed etiam homines recentiores, qui illam artem esse scriptam a Dionysio Hal. negaverunt, hanc *διαί-*

---

[1]) R. Volkmann: D. Rhetorik d. Griechen u. Römer. II. Aufl. pg. 538.

[2]) Walz in Rh. Gr. IX. libello illi titulum addidit imminutum: *Δημητρίου περὶ ἑρμηνείας.*

ρεσις utri addicerent, certaverunt inter se (velut Bursian,[1]) qui Menandro, Nitsche,[2]) qui Genethlio addixit). aliis quoque argumentis coniectura illa Spengelii confirmatur. nam testimoniorum auctoritas Demetrio Phalereo iniqua est, quia desunt testimonia priorum temporum: ea, quae Demetrii Phalerei nomen tradunt, non nisi posteriora sunt et valde infirma. »at Philodemum Epicureum Liers in testimonium pro Demetrio Phalereo vocavit.«[3]) neque vero, ut mihi quidem videtur, recte. verba Philodemi sunt haec:[4]) *παρὰ δὲ τῷ Φαληρεῖ λέγεται τοῦτο· ποικίλον μὲν αὐτὸν* (scil. *Δημοσθένην) ὑποκριτὴν γεγονέναι καὶ περιττόν, οὐχ ἁπλοῦν δὲ οὐδὲ κατὰ τὸν γενναῖον τρόπον, ἀλλ' ἐς τὸ μαλακώτερον καὶ ταπεινότερον ὑποκρίνοντα· οἱ δ' οὖν πολλοὶ τῶν σοφιστῶν ἐοίκασιν, ὡς εἰ ζῶα γεγράφασιν ἀθλίως, ὑποκεκρίσθαι· πονηρὸν γὰρ ἐν ὑποκρίσεσιν αἱ μακραὶ περίοδοι· καθάπερ καὶ παρὰ Δημητρίῳ κεῖται περὶ τῶν Ἰσοκράτους.* in libello autem nostro talia non dicuntur. insunt sane in eo duo loci, ubi de circuitionibus Isocrateis verba fiunt (§§ 12--13; § 29); sed altero loco *τὴν εἰρομένην λέξιν* in universum tractat auctor (§§ 12—13), altero etiam laudat magnificentiam, quae periodis amplis efficiatur (§ 29). his ergo locis, ubi de Isocrateis periodis auctor libelli *π. ἑ.* disputat, nihil reprehensionis inest. sed alium locum etiam Liers arcessit, quo complexiones nimis longae ab auctore vituperentur (§ 303):[5]) atque contendit simpliciter »loco illo Isocratem significari« equidem nego Isocratem significari hoc loco, cum per spatium maximum antea de periodis nomen eius citatum non sit, nego Philodemi verba ad hunc aut alium libelli *π. ἑ.* locum spectare. si Philodemus illud iudicium ex Phalerei scriptis repetivit (neque est, cur dubitem, quin repetiverit), aliunde assumsit, non ex libello *π. ἑ.*

Philodemo reiecto restant duo testimonia pro Demetrio

---

1) D. Rhetor Menandros u. seine Schriften. Abhandl. d. Bair. Ak. d. W. 16 (45) Bd. 1882. 3. Abt.

2) D. Rhetor Menandros a. d. Schol. zu Demoth. Berl. 1883. Progr.

3) Liers in dissert. pg. 34.

4) Philod. *περὶ ῥητορ.* II, 16. pg. 34 (ed. Gros.)

5) *Καὶ αἱ περίοδοι δὲ αἱ συνεχεῖς καὶ μακραὶ καὶ ἀποπνίγουσαι τοὺς λέγοντας οὐ μόνον κατακορές, ἀλλὰ καὶ ἀτερπές.*

Phalereo, quae paene nihil valent: unum Theophylacti[1]) archiepiscopi Bulgarorum, qui XI saeculo fuit; alterum Tzetzae[2]).

testimoniis ergo non cogimur Demetrium Phalereum auctorem agnoscere. quin etiam, ei testimonio[3]), unde efficimus Demetrium quendam libelli *π. ἑ.* auctorem fuisse, obstat testimonium[4]), quo non Demetrius, sed Dionysius librum scripsisse dicitur. adde quod saepe[5]) liber sine nomine auctoris citatur: veri non dissimile videbitur nomen genuinum auctoris iam veteribus fuisse ignotum atque librum *π. ἑ.* ad varios rhetores claros delatum eesse, inter quos tandem Demetrii nomen, quod permultis scriptoribus erat, plurimum placuit.

itaque apparet eorum studia, qui auctori libelli *π. ἑ.* nomen Demetrio fuisse confidunt atque perquirunt, cuinam Demetriorum libellus ille tribuendus sit, in fundamento admodum debili posita esse. proinde nominis quaestione missa ea examinemus, quae ex libello ipso ad aetatem libelli cognoscendam Liers et Hammer collegerunt. quae tripertito tractabimus: primum enim res generales praeceptaque communia contemplabimur, deinde singulas res locosque parvulos, tum verborum usum et dicendi consuetudinem.

Liers cum formas istas quatuor dicendi (gravem, floridam, tenuem, impetuosam) fuse describat earumque naturas clare perlustret, aetatem libri constituere sibi videtur: ante Ciceronem enim compositum eum esse contendit[6]). at quasi ipse monuit, ne huius

---

[1]) epist. ad Romaeum Theophyl. (Meursii opp. a Lamio collecta vol. VIII, pg. 987. *Θεόφραστος καὶ Δημήτριος, ὧν ὁ μὲν ἀπὸ τοῦ θειότερον φράζειν ἔλαχεν, ὁ δὲ Φαληρεὺς καὶ περὶ ἑρμηνείας λόγου συντάγμιον σπουδαῖον ἐξήνεγκεν.*

[2]) Cramer. Anecd. Oxon. III, pg. 384. *ὁ Φαληρεὺς δὲ χάριν ὀνομάζει τὸ ἀστεῖον.*

[3]) Ammonius in Aristot. *περὶ ἑρμηνείας* IV, 96: *ὁ Δημήτριος . . . τὸ περὶ λογογραφικῆς ἰδέας βιβλίον συγγράψας . . . καὶ οὗτος αὐτὸ ἐπιγράψας περὶ ἑρμηνείας.*

[4]) Gloss. marg. cod. Farn. I E 48, ubi ad excerpta ex libello nostro, qui inscribuntur: *ἐκ τῶν Δημητρίου τοῦ Φαλληρέως* (sic.), additur: *Διονυσίου καὶ τοῦτο.*

[5]) a Gregorio Corinthio saepissime, saepius a scholiastis quibusdam Hermogenis, cf. Liers. diss. pg. 3—4.

[6]) Liers. diss. pg. 7—15. Jhrb. f. Phil. pg. 684—704.

argumentationis nimiam habeamus fiduciam. nam postquam formarum quandam historiam scripsit, hoc iudicium de iis addit[1]: »die darstellung der stilarten in der späteren zeit befindet sich also in ziemlicher verwirrung und leidet an manchen inconsequenzen.« at mihi quidem veri dissimile videtur rhetores inconstanter et confuse rem egisse, immo vero disciplina formarum videtur non minus quam ceterae disciplinae recte et constanter processisse. eum ergo, qui filum Ariadneum per talem, ut ei videtur, labyrinthum nobis porrigere omittit, cunctanter sequemur. desunt etiam omnino argumenta stringentia, quibus adversarios repugnantes profliget. quare mittamus Liersium et transeamus ad Hammerum, qui de communibus praeceptis Pseudo-Phalerei verba faciens fontes libelli indagat, tempora libelli π. ἑ. hac disceptione constituere neglegit[2]. quod profert[3]: Ciceronem figuras plenius et uberius excoluisse quam auctorem libelli π. ἑ., Ciceronem ergo videri post auctorem libelli scripsisse, Hammer fallitur. quid enim? nonne in Oratore suo[4] Cicero formae floridae paene nullos locos ornamentave addixit? non paucissima tenui? atque in gravi genere quamquam congeriem figurarum effecit, de quibus aliquot in libello π. ἑ. desiderantur (praesertim de figuris sententiarum), sunt etiam, quae in libello π. ἑ. inveniantur, apud Ciceronem desint. minutius etiam et subtilius in libello π. ἑ. figurarum universum genus elaboratum est atque clare sentimus auctorem libelli e figuris paene innumerabilibus eas tantum elegisse, quae optimae ei viderentur. — similiter Hammer de sermone figurato iudicat[5], quem quoniam auctor libelli π. ἑ. exiliter tractavisset, multo autem perfectius Dionysius Halicarnassensis, auctorem ante Dionysium fuisse. sed quod Hammer ipse adnotat naturam τοῦ ἐσχηματισμένου λόγου a Dionysio elaborati valde distare ab natura eius, qui in libello π. ἑ. insit, sequitur, ut de hac re argumentum repetere vetemur.

---

[1] Liers. Jhrb. f. Phil. pg. 703.
[2] Hammer pg. 5—45.
[3] Hammer pg. 57.
[4] Cic. Orat. §§ 91—96, §§ 75—90, §§ 134 sqq.
[5] Hammer pg. 43.

itaque hanc viam, qua Liers mea sententia non recte, Hammer non ad finem progressus est, postea alia ratione persequi mihi propositum est.

in rebus locisque singulis tractandis Liers et Hammer diligentissime versantur; iure huic studio operam insumunt, sed ea, quae in disputationem deduxerunt, parum valent. antequam autem ea, quibus suas ipsi sententias defendere studuerunt, tractabo, aliquot argumenta paucis perstringam, quae cum ab aliis vv. dd. tum ab Hammero contra Demetrium Phalereum prolata sunt neque vero mea quidem sententia sufficiunt ad Liersii opinionem refutandam. Liersio igitur haec refellenti facere non possum, quin astipuler.

§ 108 enim *πορφύραι πλατεῖαι* commemorantur, quos Romanorum latos clavos esse Hammer affirmat [1]) Liersio contra dicente [2]). si Romanorum sunt, a Demetrio Phalereo neque locus hic neque — id quod sequitur — libellus totus scriptus est. controversiam vero illam non diiudicatam censeo neque diiudicari posse. — non fructuosius videtur certamen de nomine *ἡ νέα κωμῳδία* (§ 208), num Phalereus eo uti potuerit. nam iure quidem Hammer negat [3]) Phalerei aetate iam tria ista comoediarum spatia temporave distincta esse. at hoc nomine etiam totum recentius comoediarum genus significari poterat et iam ab Aritotele inter *τὴν καινὴν* et *ἀρχαίαν κωμῳδίαν* discretum esse [4]) satis constat. — deinde sunt [5]), qui propter Sotadis nomen commemoratum (§ 189), qui aequalis Demetrio erat [6]), libellum post Deme

---

[1]) Hammer pg. 58.

[2]) Liers Jhrb. f. Ph. pg. 712.

[3]) Hammer pg. 58.

[4]) Aristot. ethic. Nicom. IV, 14. eo minus utile certamen est, quod verba *ἡ νέα* fortasse sunt interpolata.

[5]) Walz. prooem. Rh. Gr. IX, pg. V. Christ, Gr. Lit-Gesch. pg. 443 adnot. 6. Hammer pg. 55.

[6]) Dem. Phal. post annum 285 a. Chr. mortuus est; Sotades iussu Ptolemaei Philadelphi, qui 283 regnare coepit, interfectus esse traditur, veri simile est eum haud ita multo post quam Ptolemaeus Arsinöen sororem in matrimonium duxit, obiisse, nam propter hoc matrimonium Ptolemaeo et Arsinöae conviciatus est. itaque aequales Sotades et Dem. Phal. fuisse videntur.

trium Phalereum esse scriptum contendant. sed quamvis aequalium nomina raro a veteribus in libris citata sint, tamen ex hoc more argumenta contra Demetrium Phalereum ducere caveamus. — tum nihil ex Artemonis[1]) commemoratione (§§ 223. sqq.) aut pro Demetrio Phalereo aut contra concludere licet, quia Artemonis aetas ignota est. — nihil etiam inde[2]), quod § 237 ὁ Γαδηρεύς (sic.) citatur. exciderunt enim exempli allati verba, nomen hoc solum violatum restat. quod quo modo restituendum sit, haesitant viri docti. nam correxerunt aut in Φαληρεύς (Fr. Blass) aut in Γαδαρεύς. haec coniectura etiamsi accipiatur, nescimus tamen, qui homo Gadarenus intellegendus sit. si re vera Theodorus, qui Augusti aetate florebat (hunc Gale, Muretus, Schneider suspicantur), libellus manifesto non ante hoc tempus scriptus est; forsitan autem Menippus illo nomine significatus sit. — postremo Hammer negat[3]) ab Demetrio Phalereo, qui summa scribendi laude Athenis floruisset, adnotari potuisse, qua de causa Attici Δημοσθένην et Σωκράτην dicere mallent quam Δημοσθένη et Σωκράτη. quod cur Hammer neget, non intellego.

de his argumentis disputans quamvis Liersium secutus sim atque una cum eo illa nullius momenti esse censuerim, tamen nunc eius partes derelinquo, cum in ea argumenta, quae pro Demetrio Phalereo ipse attulit, inquirendum sit. aliis enim argumentis Liersii nulla paene vis inest meo iudicio, aliis etiam ipsius sententia infirmatur.

atque argumentum pro Demetrio Phalereo Liers ex § 245 ducit[4]), ubi legituur: ἡ νῦν κατέχουσα δεινότης, cuius δεινότητος exemplum ex Demosthene repetitur. quare Liers auctorem se aequalem Demostheni profiteri suspicatur, id quod equidem non crediderim. — deinde terminum, ante quem libellus π. ἑ. conscriptus sit, sibi invenisse videtur[5]): miratur enim, quod auctor voce τρόπος usus non sit; quae vox quia a Taurisco ca. CL. annum

---

[1]) Walz. prooem. Rh. Gr. IX, pg. V. Hammer pg. 52—3. Liers Jhrb. f. Ph. pg. 710—11.

[2]) Hammer pg. 56. Liers Jhrb. f. Ph. pg. 711.

[3]) Hammer pg. 55—56.

[4]) Liers diss. pg. 26.

[5]) Liers Jhrb. f. Phil. pg. 715.

a. Chr. inducta esset, veri simile esse auctorem libelli π. ἑ., qui non uteretur, ante Tauriscum scripsisse. at ne Dionysius quidem Halic. hoc nomen videtur adhibere [1]. Ciceronem illa voce semel (in Bruto cp. XVII § 69) usum esse video, qui, ubi fontes veteres sequitur (velut in Oratore cpp. XXIII sqq.) vocem istam praetermittit, cum partitionem veterum eorumque appellationes retineat. forsitan etiam auctor noster, qui vocem paene reiciat, formas fontium suorum accurate imitatus sit. auctor rhetoricorum ad Herennium nomine illo neque utitur neque omnino peculiari nomine τοὺς τρόπους comprehendit, sed una cum ceteris ornamentis enumerat. — etiam alterum »terminum ante quem« Liers profert [2]: auctorem enim libelli π. ἑ. dicere se primum de compositione florida scripsisse (§ 179). itaque quia Dionysius Hal. de florida compositione scripsisset, scripsisse auctorem libelli π. ἑ. ante Dionysium. quae coniectura profecto evidens esse videtur; circumspiciamus tamen, num quae sint, quibus infirmetur. auctor enim libelli π. ἑ. §§ 179—185 de compositione florida disceptaus nihil praescribit, nisi de rhythmi et metri usu, similiter atque in cacozeliae compositione (§ 110); in compositione ceterarum formarum et vitiorum etiam aliae res tractantur. nusquam vero praecepta de rhythmica orationis conformatione omittuntur, praeterquam in tenui forma eiusque vitio (quae rhythmis metrisve omnino carent) et in vitio, quod ἄχαρι vocatur ubi forte omissa videntur. qua re in compositione florida praecepta de rhythmis danda esse auctor videtur putavisse. cur de rhythmis metrisve solis dare voluerit neque de aliis rebus ad compositionem floridam pertinentibus disputaverit, difficile dictu est. tetigit profecto nihil nisi rem metricam; confitetur autem a prioribus rhetoribus de illa re nihil praeceptum esse, qua de causa primum se praecepta instituere debere. non dubito, quin etiam post Dionysium Hal. auctor libelli π. ἑ. haec verba scribere potuerit. nam in compositione verborum de rhythmis pauca Dio-

---

[1]) non inusitatum Dionysio Hal. adiectivum τροπικός est, quod rectius a τροπή, quam a τρόπος derivabimus.

[2]) Liers diss. pg. 22—23.

nysius docet; cum τὴν γλαφυρὰν (vel ἀνθηρὰν) ἁρμονίαν tractet, nil nisi haec dicit: χρῆται δὲ (scil. ἡ γλαφυρὰ ἁρμονία) καὶ ῥυθμῶν οὐ τοῖς μηκίστοις. ἀλλὰ τοῖς μέσοις καὶ βραχυτέροις (cp. XXIII pg. 172, 3—4. ed. Reiske) quam rem si quis urgere velit et argumentum aliquod inde ducere, consideret auctoris libelli π. ἑ. interfuisse de compositione florida non minus subtiliter disputare quam de compositione grandi, qua in elaboranda Aristotelem strenue adhibet (§§ 38–43). subtilitatem vero praeceptorum in Dionysio nullam inveniebat. deinde consideret τὴν ἁρμονίαν τὴν γλαφυράν (vel ἀνθηράν) Dionysii non eandem esse atque τὴν γλαφυράν auctoris libelli π. ἑ. id quod non tam ex descriptione formae floridae Dionysiacae intellegitur, quam e scriptorum, qui quasi exemplaria formarum enumerantur, indole ac natura. nam cum auctor libelli peripateticos et Platonem exemplaria formae ducat floridae, Dionysius tribuit Aristotelem et Platonem τῇ κοινῇ, quae virtutes τῆς αὐστηρᾶς et τῆς γλαφυρᾶς continet. ac ne de illa quidem compositione — τὴν κοινήν dico — Dionysius generale quidquam accurate praescribit, sed Demosthenis tantum locos quosdam pertractat: Demosthenis, quem ipse ὅρον esse huius compositionis dicit, quem auctor libelli π. ἑ. exemplar formae et compositionis impetuosae iudicat. alibi vero (cp. XVIII pg. 115) cum Thucydideo etiam Platonicum locum quasi dissolvens rhythmorum usum investigat. tamen offendunt, confiteor, illa verba auctoris: οὐδὲ γὰρ τῶν πρὶν εἴρηταί τινι περὶ γλαφυρᾶς συνθέσεως. nam Dionysius etsi rem non dilatat, tamen scripsit περὶ γλαφυρᾶς συνθέσεως. at forsitan non consulto, sed propter inscitiam neglexerit auctor illum rhetorem. nam si, ut equidem opinor, saeculo II p. Chr. erat, evenire poterat, ut hoc Dionysii opus non nosset. si quis argumentis his diffidat, forsitan quae postea proferam, auctoritate huius rei potiora habeat atque quamvis difficultas non sit sublata, tamen eam neglegi putet licere.

attulit Liers ipse etiam argumenta, quae non opitulentur, sed obstent suae sententiae. nam contra Demetrium Phalereum potius est, quam pro eo,[1]) quod § 67 οἱ ἀρχαῖοι laudantur διὰ

[1]) Liers dissert. pg. 26.

τὸ ἐντέχνως τιθέναι τὰ σχήματα, cum subinde aequales moneantur, ne crebrius figuris utantur. videtur auctor libelli *π. ἑ.* spectare hoc loco non modo ad Homerum, Herodotum, Thucydidem, qui modo citabantur, sed etiam ad ceteros scriptores classicos, quos vocamus, quibus sui aequales sint inferiores. itaque ab aetate auctoris aliquantum videntur abesse illi scriptores, qui optima eademque moderata scribendi ratione utebantur. — deinde quod oratores demonstrativi generis non citentur praeter Polycratem), originem libelli *π, ἑ.* seram esse Liers negat.[1]) at videntur ii scriptores, qui in »vitiis«[2]) vituperantur, declamatores, qui dicuntur, esse.[3]) hoc argumentum Blassii[4]) Liers brevi manu reicit. sed si non ex declamatoribus, unde tales nugae repetitae sunt? — tum § 38 haec legimus: *ἄρξομαι δὲ ἀπὸ τοῦ μεγαλοπρεποῦς, ὅνπερ νῦν λόγιον ὀνομάζουσιν.* quibuscum verbis a viris doctis Phrynichi locus collatus est, ex quo perspicuum est, qnibusnam temporibus „*λόγιος*" *ὁ μεγαλοπρεπὴς χαρακτὴρ* appellatus sit: *λόγιος, ὡς οἱ πολλοὶ λέγουσιν ἐπὶ τοῦ δεινοῦ καὶ ὑψηλοῦ, οὐ τιθέασιν οἱ ἀρχαῖοι, ἀλλ' ἐπὶ τοῦ τὰ ἐν ἑκάστῳ ἔθνει ἐπιχώρια ἐξηγουμένου ἐμπείρως* (Ecl. Lob. pg. 198). notio igitur illa apud scriptores priores non invenitur; quin etiam eam ab iis omnino non adhibitam esse Phrynichus clare testificatur. ac quoniam apud eius aequales in communi usu erat, vix errabimus, si ab Phrynichi aetate libelli auctorem non nimis procul afuisse iudicabimus, qui ab suis aequalibus notionem inductam esse profitetur *(νῦν ὀνομάζουσιν).* plane veronescio, qui contendere Liers potuerit:[5]) »nihil potest ex Phrynichi loco colligi de aetate libri de elocutione.«

hae fuerunt singulae res, quibus Liers suae sententiae patrocinatus est. pauca sunt, quae ex Hammero hic repetenda censeam :

---

[1]) Liers. diss. pg. 28. Jhrb. f. Phil. 714.

[2]) §§ 115, 116, 121, 188, 236, 237, 239, 303.

[3]) exceptis iis scriptoribus, quorum nomina citantur; § 302 Hyperides sine nomine citatur. is, qui § 115 sine nomine citatur, fortasse declamator Dorio est, quem Seneca suas. I p. 12 (ed Kiessling) commemorat.

[4]) Blass: Lit. Centralblatt. 1881 pg. 903.

[5]) Liers. diss. pg. 27.

qui aeque ac Liers ante Dionysium Hal. libellum π. ἑ. scriptum suspicatur,[1]) quod post Dionysium nemo dixerit se primum de compositione florida scripsisse. — deinde putat Hammer,[2]) quia Demosthenes princeps in contionando ante Dionysium Hal. iudicatus aut celebratus non sit, libellum π. ἑ., antequam Dionysii opinio sit divulgata, scriptum esse. libello enim Demosthenem non omnino benevole recenseri. atque ut praetermittam illum oratorem iam a Pergamenis summis laudibus elatum esse videri— re vera in libello π. ἑ. nonnisi unius formae illustrandae causa (nempe impetuosae) citatur. sed huius formae quasi dux existimatur: quid? nonne de XXV exemplis oratoriis XVII Demosthenica sunt? quin etiam ἡ ἀντίθεσις ideo ab forma impetuosa abhorrere iudicatur, quod ne in Demosthene quidem apta videatur.[3]) potius igitur post Dionysium (aut Pergamenos), quam ante libellus compositus est. — tum pensitans, quinam rhetores in libello π. ἑ. commemorentur quasi fontes, auctorem admodum vetustum censet Hammer.[4]) at quod auctor nomina rhetorum nonnisi antiquorum citat, ex hac re nihil argumenti ducere licet: mos enim multis erat, nomina recentiorum silentio obruere, quamvis libros eorum adhibere non dubitarent; priscorum tantum nomina, quos saepe non introspexerant, gloriosius iactare.

veniamus tandem ad formam libelli π. ἑ. ac recte Hammer dixisse mihi videtur:[5]) librum esse hellenistico, qui vocatur, colore compositum; consuetudinem enuntiandi et usum verborum abhorrere ab incorrupta integritate linguae Graecae; esse aliquot vocabula, quae non ante hellenisticam aetatem usitata fuerint.[6]) — deinde hellenisticam aetatem libelli π. ἑ. ex nimia frequentia comparationum, quae quidem ex artibus ceteris repetantur, rectissime conclusit Hammer contra Liersium, qui aliquot exempla ex scriptori-

---

[1]) Hammer pg. 59—60.

[2]) Hammer pg. 57.

[3]) § 256. ἡ δὲ ἀντίθεσις, ἣν ἐπὶ τοῦ Θεοπόμπου ἔφην, οὐδ' ἐν τοῖς Δημοσθενικοῖς ἥρμοσεν.

[4]) Hammer pg. 50—54.

[5]) Hammer pg. 45—50.

[6]) ad ea, quae Hammer congregavit, postea nonnulla adiungam.

bus prioribus arcessens eandem eloquendi indolem fuisse contendit in Aristotele, Isocrate, Alcidamante, Gorgia, Timaeo, Simonide. at hi tales similitudines plerumque adhibebant, ut rem clarius explanarent, non ut ornamenta efficerent superflua; perraro deinde illas adhibebant. nam ratio illa comparandi teri non ante Pergamenos coepta est, atque qui post eos scribebant, eos secuti sunt, id quod Brzoska in libello suo, quem de canone X oratorum Atticorum scripsit, splendide demonstravit. atque in deliciis auctor libelli π. ἑ. similitudines habet, quae et ex artibus ceteris repetuntur et ex ceteris vitae humanae studiis et rerum natura. atque in libello aliquot loci insunt, quos, si vis, poëticos iudicabis, rectius autem frigidos et tumidos propter redundantiam inutilem comparationum.

quia argumentorum seriem et Liersii et Hammeri percensuimus, nunc summatim repetamus, quid de universis hac in re studiis utriusque iudicemus: non recte utrumque puto quasi inniti in traditione nominis parum firma neque satis confirmavisse suam sententiam argumentis.

accedunt etiam argumenta gravia contra eos. ac prius de Liersio disputetur.

nam ut praetermittam libellum π. ἑ. in Demetrianorum librorum indice ab Diogene Laërtio praeteritum esse, locus libelli ipsius disertissime contra Demetrium Phalereum quasi testificatur. nam quid quod exemplum sermonis figurati de Demetrio ipso Phalereo repetitur (§ 289)? quod Demetrius Phalereus profecto in suo libro non protulit. Liers hoc exemplum e medio tollit, cum totam partem, in qua est, (de oratione figurata §§ 287 – 98) interpolatam esse harioletur. — deinde Hammer ostendit [1]) Menandrum in libello π. ἑ. sic citari, quasi auctor eo familiariter uti minime videatur; itaque Demetrium Phalereum, cui amicissimus Menander fuisset, auctorem vix esse. — gravissima argumenta Blass [2]) contra Demetrium Phalereum affert: libelli enim auctorem quamvis Aristotelis rhetorica accurate

---

[1]) Hammer pg. 59.

[2]) Blass: Lit. Centralbl. l. l.

imitatus sit, tamen permulta docere, quae in Aristotele non inveniantur: velut ab Aristotele de figuris simplicissima tantum principia institui, auctorem vero libelli in doctrina uberrima ac subtiliter elaborata niti. deinde formarum quatuor dicendi, quas toto libro explicare auctori propositum est (nam quae antecedunt, vix aliud quidquam nisi exordium) ne levissima quidem vestigia in Aristotele inveniri. verum antequam libellus scriptus sit, fuisse non modo, qui formas quatuor inducerent, sed etiam teste Pseudo-Phalereo (§§ 35–36), qui quatuor in duas contraherent. tum eum virum, quem constat hiatum in scriptis suis vitavisse, in arte rhetorica certe non permissurum fuisse, ut hiatus adhiberetur.[1] (quid? nonne ipse praeceptum suum sequitur, cum saepissime hiatum adhibeat?) postremo veri non esse simile Demetrium Phalereum iam nomine *οἱ περιπατητικοί*[2]) usum esse neque iudicium illud[3]) de Philemonis et Menandri diversitate fecisse. addo argumentum, quod eodem docto viro auctore indagavi: contra Demetrium Phalereum etiam Jonicum illud *σσ* quasi testificatur, quod noviesdecies in libello *π. ἑ.* invenitur. in *τὴν κοινήν* enim a scriptoribus rursus inducebatur, cum antea ab Atticis reiectum esset. itaque quamquam etiam *ττ* noviesdecies in libello *π. ἑ.* scriptum est, tamen libellum a Demetrio Phalereo, elegantissimo illo Attico, compositum esse negabimus. quod vero et *σσ* et *ττ* in libello adhibitum est,[4]) non librariorum levitati modo hoc tribuerim, sed auctoris ipsius inconstantiae, quippe qui stilum suum perfecte non limaverit.

non magis probabilia videntur, quae attulit Hammer, ut Demetrium Syrum auctorem libelli *π. ἑ.* esse demonstraret. recte opusculum hellenisticum esse atque longius abesse ab Aristotele arbitratur; minus recte incertis in «terminis ante quem« argumentationem ponere mihi videtur (Dionysii dico librum de compositione verborum, Ciceronis figuras, Dionysii sermonem figura-

---

[1]) cf. § 68—74.

[2]) § 181.

[3]) § 193.

[4]) utrumque iisdem in paragraphis atque vicinis in verbis invenitur: velut § 59 *ἀνθυπαλλάσσουσιν* et *διαταττομένῳ*; § 177 *ἡ Ἀττικὴ γλῶσσα*; § 64 *ἐφυλάττετο συμπλήσσειν*.

tum, quod fundamentum non satis solidum puto). atque minus rectum est, quod Demetrium aliquem ante hos terminos quasi excitare studet, cui libellum π. ἑ. tribuat. qua in argumentatione neque tanta auctoritas inest, ut consentire cogamur, et accedunt contra Hammerum argumenta gravissima, quae nunc in medium proferam quibusque in explicandis hanc alteram opusculi partemconsumam. nam cum, quae ipse sentio de aetate libelli π. ἑ., probare moliar, simul Hammeri opinio infirmatur.

quam dabo sententiam, non nova est, sed a viris doctis ante iam strictim prolata, quam nunc fusius confirmare studebo; arbitror enim, ut supra dixi, libellum π. ἑ. initio saeculi alterius post Christum natum esse compositum.

atque ex nominis traditione auctoris quia incertissima est, coniecturas de aetate libelli facere omitto. neque si speciem quandam auctoris ex libello ipso quasi colligimus atque effingimus, quidquam certi de aetate hominis effici posse spero.

plus proficiemus, si id, quod iam Liers et Hammer aggressi sunt, aetatem praeceptorum libello expressorum constituere molimur. ac libello toto formae illae quatuor dicendi discribuntur; quae prioribus XXXV paragraphis explicantur, ut supra commemoravi, nihil videntur nisi exordium-nimis amplum neque tamen sufficiens. quaestio ergo haec, quae ad praecepta libello expressa spectabit, in formis dicendi tractandis praecipue versabitur. quarum vim naturamque ut perspiciamus atque ut recognoscamus, ubi temporum libellus π. ἑ. collocandus sit, oportebit formarum initia persequi et quasi processus anquirere. difficilis autem res est, quoniam pauci libri extant, in quibus de formis verba fiunt. deinde principia formarum in obscuro posita sunt formaeque ipsae, postquam excoli coeptae sunt, vix commutatae videntur esse per temporum spatia; velut formae ab Quintiliano descriptae ab iis, quas Cicero habet, paene nihil abhorrent. — atque is, qui formas primus instituit, Theophrastus, utrum oratorum modo diversitates eloquendi his formis internoscere voluerit au universa distinxerit literarum studia, dubitari potest: nam de Theophrasteis formis paucissima nobis traduntur. Aristotelem sane videtur secutus esse, qui contionibus re vera habitis parum artis inesse ratus pluris τὸ ἀναγνωστικὸν (vel γραφικὸν) γένος aestimabat. quare Theophrastns Gorgiam principem generis magnifici habebat esse. deinde Isocratom lau-

dabat, quippe qui simpliciorem formam perfecisset, quam Thrasymachus Chalcedonius condidisset. tria genera dicendi, quae eorum similia essent, quae ceteri rhesores praebent, Theophrastus nondum constituisse videtur. ii, qui post Theophrastum artes rhetoricas scribebant, tantummodo formas, quae in oratoribus quasi apparebant, explicaverunt: velut is, qui rhetorica ad Herennium composuit, breviter et accurate vim naturamque formarum descripsit et singulas illustravit exemplis aptissimis. verum quae res convenirent formis singulis, qualium verborum electu opus esset, qua componendi ratione, quarum denique figurarum ornamenta requirerentur in quaque, exponere plane omisit. plura praebet Cicero in Oratore suo bene et eleganter de generibus contionandi disputans, cum totum genus epidicticum (cui etiam historicos aliosque scriptores tribuit) diserte a limine removeat. formas oratorias pulchre verbis depinxit et instrumenta (ut ita dicam), quae asingulis desiderarentur, attulit. aliter vero alias formas executus est. nam attenuatam formam [1]) subtiliter explicat: facit verba de rhythmi usu et de generalibus virtutibus; disposite et polite orationis supellectilem perlustrat; tum praecepta admodum accurata dat de figuris; aliquot etiam aperte reicit; elocutione sic tractata actionem huic formae aptam breviter perstringit; ad extremum de salibus orationis quaedam adnotat. vides hac disceptatione variorum praeceptorum seriem contineri, quacum ea, quae de forma mediocri locutus est Cicero,[2]) vix comparari possunt. nam paene nihil de hac forma praescribit; de tralatione sola et iis, qui tralationis similes sunt, tropis, paullulum dicit. evidens est Ciceronem non habuisse, quae diceret. uberrime grandem formam describit,[3]) nam in hac non modo ea enumerantur, quae formae ipsius quasi propria sunt, sed etiam de multis iisque gravissimis rebus agitur, quae non tam ad grandem formam pertinent quam ad omnes laudes eloquentiae. adumbratur enim verbis species hominis vere eloquentis; explicatur, quibus rebus orator instructus debeat esse; quae sint causarum genera; dantur argumentorum praecepta; definiuntur τὸ ἠθικόν et τὸ παθητικόν; praecipiuntur tum orationis grandis lumina,

[1]) Cic. Orat. §§ 75—90.
[2]) Cic. Orat. §§ 91—96.
[3]) Cic. Orat. §§ 97 sqq.

figurae verborum et sententiarum, post numerus orationis magnificae. aliter ac Cicero rem egit Dionysius Halicarnassensis; qui de formis quid senserit, optime ex libello, quem de Demosthenis vi dicendi admiranda scripsit, intellegitur. in hoc enim primum de iis scriptoribus loquitur, qui formam grandem, qui tenuem, qui mixtam perfecte absolverint. deinde demonstrare studet omnium formarum omnes virtutes in Demosthene apparere. inter eos, quos formas optime excoluisse iudicat, et oratores et scriptores enumerat, ut Thucydidem in forma grandi, Lysiam in attenuata, Platonem et Isocratem in mixta. in opere, quod de compositione verborum inscripsit, tres compositionis modos perlustrat, qui ad illas formas tres non accurate respondent. his modis quoque exempla non solum ex rostris, sed etiam e literis et multo plura e literis repetita tribuit; grandi: Antimachum, Empedoclem, Pindarum, Aeshylum; unum oratorem: Antiphontem. floridae hos: Hesiodum, Sappho, Anacreontem, Simonidem, Ephorum, Theopompum; unum oratorem: Isocratem. mixtae hos: Homerum, Stesichorum, Alcaeum, Sophoclem, Herodotum, Democritum, Platonem, Aristotelem; unum oratorem: Demosthenem. vides ergo Dionysium ex universo orationis prosae genere (in »compositione« etiam ex poësi) exempla assumere atque iisdem formis et oratorum et scriptorum exempla tribuere. Dionysii aetate alii quoque viri eiusmodi quastiones susceperunt, velut Caecilius et postea Pseudo-Longinus, qui libellis *περὶ ὕψους* inscriptis formam grandem explanaverunt atque disputationes suas latissime effundentes materiam magnam ex omnibus literarum partibus congregaverunt; Pseudo-Longinus etiam poëtis magis favere videtur. venimus nunc ad Quintilianum, qui summatim de naturis modo formarum verba facit.[1]) praeter formas antiquitus traditas etiam alias commemorat, quae inter illas media loca teneant, ita ut plures tribus existant. forma vero impetuosa, quae in libello *π. ἑ.* ad tres ceteras additur, neque commemoratur apud Quintilianum neque describitur verbis; dubito, num Quintilianus eam in mente habuerit, cum formam »quae gravior etiam gravi esset,« significaret; usque ad Quintiliani aetatem non violata neque conversa esse videtur. apparet autem ab hoc rhetore totam in formas distinctionem parvi

---

[1]) Quint. Inst. Or. XII, 10, 58 sqq.

aestimatam esse; nam tradit eam, quia sibi tradita erat, non quod eam maximi momenti ad stili indolem internoscendam putat; qua de causa verba pauca de hac re facit. aliquanto post Quintilianum rhetores totam formarum doctrinam abiecerunt et pro formis traditis τὰς ἰδέας substituerunt. formae enim tandem ab rhetoribus inutiles redditae erant: nam quia nimis minute elaboratae erant et excultae, quodammodo fragiles factae erant. quid enim? quo plus operae rhetores dabant, ut accuratissime et subtilissime formarum differentias investigarent et quid cuique ornamentorum conveniret, eo magis differentias etiam atque etiam obscurabant. accedit, quod rhetores tum ad triadem formarum etiam recentes formas aequabiles adiungebant, quia tres formae iis non iam satis faciabant, novae vero cum assumerentur formae, eo difficilius confinia formarum discernebantur, immo vero turbabantur eo facilius. his ac similibus causis, credo, commoti sophistae praetulerunt formis liberis τὰς ἰδέας, quae quasi elementa erant, ex quibus formae non modo illae tres, sed innumerabiles componi et commisceri poterant. ἰδέας quoque (quamvis diversas ab his et diverse elaboratas) apud omnes rhetores priores invenimus. nominantur ἰδέαι vel ἀρεταί, latine: virtutes. plerumque ornamenta necessaria esse existimantur, quae omnium dicendi generum communia sint. velut apud Aristotelem:[1]) τὸ σαφές, τὸ ἑλληνίζειν, ὁ ὄγκος, τὸ πρέπον. apud Theophrastum:[2]) τὸ σαφές, τὸ μεγαλοπρεπές, τὸ ἡδύ, τὸ πιθανόν. apud rhetorem ad Herennium:[3]) elegantia, quae constat ex latinitate et explanatione; compositio; dignitas, quae continet figuras. apud Ciceronem hae:[4]) sermo purus; sermo latinus; dilucide planeque dicere; quid deceat, circumspicere; [ornatum, suave, affluens]. apud Dionysium Hal. hae; τὸ καθαρόν, τὸ σαφές, τὸ σύντομον[5]); alio loco hae:[6]) τὸ καθαρὸν τὴν ἑρμηνείαν

---

[1]) Aristot. π. ῥητ. III. cp. II, V, VI, VII.

[2]) has appellat Simplicius ἰδέας (schol. ad. Aristot. categ. Bas. 1551 pg. 3), fortasse iniuria. nam τὸ μεγαλοπρεπές et τὸ ἡδύ vix communia sunt universae elocutionis.

[3]) Rh. ad Herenn. IV, 12. sqq.

[4]) orat. § 79 in forma tenui describenda. Cicero dicit se Theophrastum sequi, removere vero ab hac forma eas, quas uncis inclusi.

[5]) Dionys Hal. de Thuc. hist. iud. cp. XXIII.

[6]) Dionys. Hal. iud. de Lysia, cui illas virtutes tribuit.

εἶναι, ἡ ἀρετὴ ἡ διὰ τῶν κυρίων κε καὶ κοινῶν καὶ ἐν μέσῳ κειμένων ὀνομάτων ἐκφέρουσα τὰ νοούμενα, ἡ σαφήνεια, τὸ βραχὺν εἶναι, ἡ ἀρετὴ η συστρέφουσα τὰ νοήματα καὶ στρογγύλως ἐκφέρουσα τὰς λέξεις, ἡ ἐνάργεια, ἡ ἠθοποιΐα. apud Quintilianum hae:[1]) verba singula sint latine, perspicua, ornata, apta; coniuncta sint emendata, apte collocata, figurata. praeter has virtutes necessarias Dionysius Hal. ἀρετὰς ἐπιθέτους commemorat, ἐξ ὧν μάλιστα διάδηλος ἡ τοῦ ῥήτορος γίνεται δύναμις. paucas affert[2]): τὸ ὕψος, τὴν καλλιρρημοσύνην, τὴν σεμνολογίαν, τὴν μεγαλοπρέπειαν. de istis virtutibus sophistae non modo nomen „ἰδέας" arripuerunt, sed etiam plerasque δέας ipsas mutuati sunt. quia vero τὰς ἰδέας pro formis istis substituebant, opus erat ταῖς ἰδέαις traditis novas et usque inusitatas adiungere, ut re vera omnium dicendi modorum elementa hunc in ordinem redigerentur. apparet eas ἰδέας, quae pro singulis formis substituebantur, non universae elocutionis communes esse potuisse. atque apud Aristidem[3]) has ἰδέας invenimus: τὴν σεμνότητα, τὴν βαρύτητα, τὴν περιβολήν, τὴν ἀξιοπιστίαν, τὴν σφοδρότητα, τὴν ἔμφασιν, τὴν δεινότητα, τὴν ἐπιμέλειαν, τὴν γλυκότητα, τὴν σαφήνειαν καὶ καθαρότητα, τὴν βραχύτητα καὶ τὴν συντομίαν, τὴν κόλασιν. apud Hermogenem[4]) has: τὴν σαφήνειαν, quae continet τὴν εὐκρίνειαν καὶ τὴν καθαρότητα, τὸ μέγεθος, quod continet τὴν σεμνότητα, τὴν περιβολήν, τὴν τραχύτητα, τὴν λαμπρότητα, τὴν ἀκμήν, τὴν σφοδρότητα, τὸ κάλλος, τὴν γοργότητα, τὸ ἦθος, τὴν ἀλήθειαν, τὴν δεινότητα. itaque apud utrumque quaedam δεινότης invenitur, de qua postea disputandum erit.

nusquam vero aut in prioribus rhetoricis aut in serioribus impetuosa forma commemoratur, quae aequo iure sit cum ceteris tribus. num forte fortuna accidisse putabimus, ut in operibus eorum rhetorum, qui usque ad Quintilianum erant, ne syllaba quidem scriberetur de quarta forma atque ut in iis, quas Quintilianus inter tres praecipuas inseri solere dicit,

---

[1]) Quintil. VIII. 1, 1.

[2]) Dion. Hal. iud. de Thuc. hist. cp. XXIII.

[3]) τεχνῶν ῥητορικῶν α.

περὶ ἰδεῶν.

[4])

non definiretur verbis, quae par similisque esset τῆς δεινῆς? at ne quis auctorem libelli π. ἑ. unum hanc formam tractavisse arbitretur. ex § 36 enim apparet, ut supra demonstratum est, ante eum fuisse, qui illam quartam inducerent et fuisse, qui quatuor formas in duas contraherent. itaque non unius homunculi studio levi forma δεινή inducta est, sed ab hoc ex artibus prioribus excepta. ὁ δεινὸς χαρακτήρ igitur sua habuit fata, priusquam ab auctore libelli π. ἑ. retractatus et nobis traditus est. valde mirum esset Ciceronem, Dionysium, Quintilianum, qui de aliis rebus accurate rettulerunt (velut Quintilianus, quae dissensio leviuscula de natura formae mediocris esset, subtiliter adnotavit), hanc dissensionem rhetorum silentio praetermissuros fuisse, si modo percepissent. aut ubi talis eorum oratio est, ut nobis confidendum sit eos dissensionis huius conscios fuisse? veri simillimum est neque Ciceronem neque Dionysium neque Quintilianum quidquam comperisse aut de quarta forma, quae cum ceteris tribus aequabilis esset, aut de contractione illarum quatuor in duas. concludemus ergo eorum aetatibus pristinum formarum statum a rhetoribus nondum novatum esse, vel: libellum π. ἑ. post illorum aetates compositum esse.

sed quoniam hoc argumentum ex silentio parum valet, res cautius agenda est ac quasi gradatim demonstrare moliar libellum post Dionysium Hal. compositum [1]) esse, post rhetorica ad Herennium, post Ciceronem, post librum περὶ ὕψους, paulo ante Hermogenem et Aristidem.

iis, quae supra dixi, forte quispiam adversabitur, cum dicat tantum abesse, ut Dionysius τὴν δεινότητα ignoraverit, ut librum περὶ τῆς λεκτικῆς Δημοσθένους δεινότητος. scripserit. de hoc libro Dionysii eo libentius disseretur, quia inde argumenta pro mea sententia ducere in animo habeo. atque ut quod respondendum est, praeoccupem: ἡ δεινότης. quam Dionysius Demostheni tribuit, minime par est formae impetuosae, quae in libello π. ἑ. est; quin etiam omnino non est forma generalis et communis, sed forma

[1]) veniam peto, quod rhetorica ad Herennium et Ciceronem post Dionysium Hal. tractabo. at cohaeret haec disputatio artissime cum Pseudo Longino, cuius librum post Dionysium Hal., nempe sub Tiberio imperatore scriptum puto.

peculiaris Demosthenis. non suas proprias habet notas aut ornamenta, quibus ceterae formae careant, sed omnium omnes virtutes continet. Dionysius enim ostendit omnes eos scriptores, qui in formis istis tribus singulis maxime eminuerint, a Demosthene aequiparari in sua quisque forma; inferiores etiam esse Demosthene, quod hic in omnibus formis cedat nemini, illi in una quisque forma excellant. deinde Demosthenes Thucydidem idcirco superat, quod ad stilum grandem affert: perspicuitatem et *τὸ δεινὸς εἶναι δοκεῖν, ἐφ' ᾧ μάλιστα φαίνεται σπουδάζειν.* praeter virtutes formas tenuis, quam Lysias Dionysio arbitro perfecit, Demosthenes habet: *τὴν περιττολογίαν, τὴν ἐξαλλαγὴν καὶ πάντας τοὺς ἐπιθέτους κόσμους.* deinde *τὸ μέγεθος καὶ τὸν τόνον, τὸ βάρος, τὴν στρυφνότητα. τὸ πικραίνειν.* tertia forma Dionysiaca non est ea, quam rhetor ad Herennium aut Cicero habent, sed est »commixta ex virtutibus ceterarum duarum.« quam iudicat Dionysius Platonem et Isocratem praestitisse neque vero perfectissime Platonem enim virtutes grandes non praestare perfecte, quas quia Demosthenes haberet, Platoni antecedere eum. in Isocrate aliquot vitia dicendi esse: eum esse *ἄμετρον, ὕπτιον καὶ ἐπαγωγικόν, ἄτολμον περὶ τὰς τροπικὰς λέξεις, ψοφοδεῆ, ἄνευ τόνων κραταιῶν, παθαίνειν οὐ δύνασθαι,* non esse *στρογγύλον καὶ συγκεκροτημένον.* contra his laudibus Demosthenem esse insignem: existere *εὐγενέστερον καὶ μεγαλοπρεπέστερον, συγκεκροτῆσθαι καὶ περιτετορεῦσθαι*; inesse in eo *ἰσχὺν πλείονα καὶ τόνους ἐμβριθεστέρους*; fugere et evitare eum *τὸ ψυχρὸν καὶ τὰ μειρακιώδη σχήματα*; adhibere *τὸ δραστήριον, τὸ ἐναγώνιον, τὸ ἐμπαθές.* deinde Demothenes virtutes quasdam melius a d h i b e t, nempe: *τὴν ποικιλίαν, τὴν συμμετρίαν, τὴν εὐκαιρίαν,* quorum usu Isocratem vincit. tum prae se fert, quae in omnibus dicendi formis necessaria sunt: *τὴν σαφήνειαν, τὸ κοινόν,* (quibus Thucydidis obscuritatem superat), *τὸ πρέπον, ὃ τῶν ἄστρων ψαύει.* tot tantisque virtutibus Demosthenem esse instructum Dionysius demonstrat, ut eum omnibus longe praeferat atque laude insigni celebrans illustri loco eum ponat. nam quis non satis fecisse Dionysium putaret, si iudicasset Demosthenem absolvisse formam illam ex virtutibus ceterarum mixtam? quam laudem qui accepit, ad maiorem dicendi gloriam vix pervenire potest, nam in summa forma primus excellit. tamen Dionysius hoc non satis esse censebat, sed aliud quiddam

effecit: intellegebat Demosthenem omnia officia dicendi tantopere praestare: omnia, quaecunque per artem rhetoricam praescribebantur, tam perfecte vel singulariter explere; esse in eo virtutes aliquot, quae in tribus illis formis non postularentur; ita ut neque finibus unius formae neque finibus omnium formarum traditarum circumscribi posset, sed ut videretur divinus ille orator ipse peculiare genus instituisse, quo omnia officia, omnes denique formas complecteretur atque quod immensi regni instar esset, quod nemo nisi Demosthenes posset regere. talem igitur formam Dionysius ad unum Demosthenem accommodabat, quam ut copiosissime describeret, librum suum *περὶ τῆς λεκτικῆς Δημοσθένους δεινότητος* composuit. ac ceteras formas ea tantum de causa in hoc libro commemoravit, ut quasi fundamentum poneret, in quo Demosthenicam formam extrueret. (cp. VIII).

adhuc ita argumentatus sum, quasi re vera Dionysius formam quartam induxisset. neque inconsulto; nunc vero causae, cur hoc facere licuerit, afferendae sunt. primum Dionysius ipse loquitur, quasi ad novum aliquid aggressus sit; nusquam sic, quasi rem traditam denuo tractet. nusquam aliorum praecepta de hac re tangit neque adnotat se alios sequi aut ab aliis dissentire. sed per totum librum verborum color is est, ut sentiamus auctorem nova in via progredi. ex cp. VIII imprimis luculentissime apparet Dionysium ipsum invenisse formam istam Demosthenis propriam. at concedamus antea formam quartam extitisse: profecto non Demosthenica erat, sed quibuslibet oratoribus vel scriptoribus patebat. Dionysius ergo formam communem sic circumcidisse et imminuisse putandus esset, ut ceteros scriptores inde exigeret eamque Demostheni soli reservaret. quod mihi haud veri simile videtur esse. immo vero sic potius evenisse persuasum habeo, ut prius forma Demosthenica ab quovis rhetore poneretur, tum ex Demosthenica efficeretur communis. nam natura fert, ut hae formae dicendi sicut omnes res ex parva stirpe creverint, tum auctae sint atque amplificatae. apparet porro propter Demosthenis ingenium divinum facile quempiam impelli potuisse, ut formam propriam Demosthenicam institueret; minus elucet, cur oratores (velut qui in uno canone cum Demosthene habebantur) qui alibi summis laudibus a Dionysio efferantur quique sicut Hyperides et Aeschines paene pares Demostheni esse ab eodem Dionysio

iudicantur (cf. iud. de Isaeo cp. XX) — cur hi oratores ex forma iam quasi possessa omnino exclusi sint, unus Demosthenes dignus sit habitus, qui formam diutius possideret. verum enim vero quibusdam Dionysius aditum ad formam Demosthenis aperte recusat, cum eos distribuat in tres formas traditas (cp. VIII). alios eosque maximos silentio praeterit in hoc libro de Demosthenis vi dicendi admiranda. etiam idcirco, quod tales neglexit atque omisit, suspicor Dionysium induxisse formam istam; nam erroribus solent non carere initia. quid? si re vera Demosthenes tanto praeter ceteros praestabat, cur non quintum genus inveniebatur, cui iste praeesset? ii profecto rhetores, qui quartam olim formam instituerant — ponamus enim ante Dionysium alios rhetores eam institnisse — nonne ideo instituisse putandi sunt, quod tres traditae non sufficiebant? quod notas quasdam signaque certa in aliquot scriptoribus cognoscebant, propter quae ex traditis tollerent? num has notas signaque a Dionysio ita neglegi licuisset, ut brevi manu principes istos formae quartae retrorsus removeret ad istas tres? hoc minime mihi persuadere potui. nam iis, quae in disciplina ulla bene recteque antea cognita sunt, frui solent et uti homines, non abicere. at manifestum est talia signa nondum reperta fuisse, propter quae ad novam et quartam formam referrentur. immo vero eo tempore, quo rhetor ad Herennium scripsit, »consumebatur omnis oratio non vitiosa in tribus generibus« (IV, 8, 11); consumebatur etiam Ciceronis aetate; nec plures quam tres formas Dionysius gravissimas esse iudicabat. id solum causae, cur Demosthenem ex illis carceribus emiserit, videmus: quod Demosthenem in modum paene incredibilem venerabatur, qua de admiratione conferatur caput XXII pernotum.

itaque ante Dionysium formam *δεινήν* extitisse nego. negare vereor ante Dionysium *δεινότητα* quandam apud rhetores extitisse. quam quo nomine appellem, dubito, quod variis notionibus uti videtur. exempla gravissima haec sunt: de vett. scriptt. cens. IV, [1]) ubi est »acumen disserendi«; idem est in iud.

---

[1]) *παραληπτέος δὲ καὶ Ἀριστοτέλης εἰς μίμησιν τῆς τε περὶ τὴν ἑρμηνείαν δεινότητος καὶ τῆς σαφηνείας καὶ τοῦ ἡδέος.*

de Thuc. II[1]) — »admiranda vis dicendi« est in titulo libelli supra tractati et de Isaeo iud. XX.[2]) — duobus locis videtur virtus esse, quae perturbationes moveat: de Thuc. iud. c. XXXIII.[3]) et LIII.[4]) hanc notionem etiam in loco supra citato intellego *παρείληφε τό τε δεινὸς εἶναι δοκεῖν, ἐφ' ᾧ μάλιστα σπουδάζειν φαίνεται,* et eodem loco: [paullulum inverto verba]: *ὁ ὑψηλὸς καὶ ἐγκατάσκευος καὶ ἐξηλλαγμένος τοῦ συνήθους χαρακτήρ, οὗ τὸ κράτος ἅπαν ἦν ἐν τῇ δεινότητι.* quem locum sic verto: ». . . gravis formae, cuius vis tota in impetu erat« id est: »vis gravis formae non valet quicquam, nisi per impetum emissa.« Demosthenem dicit Dionysius gravitati addidisse hunc impetum, quem ut ostenderet, plurimum eum eniti. constat igitur ante Dionysium *δεινότητα* esse virtutem oratorum vehementium potissimum propriam, qua perturbationes animorum excitentur; gigni eam ex valido et forensi spiritu. videtur porro locis ornamentisque propriis omnino carere, cum locis ornamentisque formae gravis vehementer et impetuose utatur.

demonstrare studui formam *δεινήν* tum non extitisse. unde efficitur, ut libellus *π. ἑ.* post Dionysii aetatem scriptus sit. Dionysii contra libro isto rhetores impulsi videntur esse, ut formam quartam ceteris adiungerent.

venimus nunc ad tertium argumentum; quod ex formae impetuosae natura repetitur. atque contendo eos locos et ornamenta, quae *τῷ δεινῷ χαρακτῆρι* in libello *π. ἑ.* tribuuntur, olim *τοῦ μεγαλοπρεποῦς* peculiaria fuisse atque quartam formam totam cum gravi cohaesisse; ab hac dissolutam et in quarto loco formis ceteris additam esse non modo post rhetorica ad Herennium scripta, sed etiam post Ciceronem, non modo post Ciceronem, sed etiam post libellum *περὶ ὕψους*.

---

1) *ἐκεῖνον ὑποτίθενται τὸν ἄνδρα . . . τῆς περὶ τοὺς πολιτικοὺς λόγους δεινότητος ὅρον.*

2) . . . *τῆς Δημοσθένους δεινότητος, ἣν οὐθείς ἐστι, ὃς οὐ τελειοτάτην ἁπασῶν οἴεται γενέσθαι.*

3) *τὸ ἐρρωμένον καὶ ἐναγώνιον πνεῦμα ἐξ ὧν ἡ καλουμένη γίνεται δεινότης.*

4) *ἡ ἐξεγείρουσα τὰ πάθη δεινότης.*

5) Liers Jhrb. f. Phil. p. 705.

quod ut conficiam, oportet vim naturamque formae impetuosae, qualis in libello π. ἑ. est, accuratius exponere; id quod eo magis oportet, quia natura haud ita facile perspicitur. quin etiam inter eos, qui de libello π. ἑ. scriptitaverunt, Hammero Liers opprobrio dat: »non contigisse ei, ut vim τοῦ δεινοῦ χαρακτῆρος intellegeret.«

videmus enim formam δεινήν non sic tractari, ut priores illas tres; sed cum illarum unaquaeque libere et solute a ceteris describatur, quartam formam aliquas res cum ceteris communes habere: minus cum florida, immo vero huic esse contrariam (cf. § 258); plus cum tenui, quacum commisceri eam licet; plurimum vero similitudinis τῇ δεινῇ intercedit cum forma gravi. nam communia habent haec: τῶν πραγμάτων descriptiones inter se etiam verbis exemplisque consentiunt (§ 75 = § 240). in compositione haec communia habent: τὴν δυςφωνίαν (§ 48—49; 105 = 246; 255—58) praecepta περὶ τῶν συνδέσμων (§§ 53—58 = 257—58) τὴν ἀναφοράν (§§ 61—62 = 268) τὴν ἀναδίπλωσιν (§ 66 = 267) praecepta περὶ τῆς συγκρούσεως (§§ 68—74 = 299) in elocutione: legitur in IV forma haec mentio: λέξις δὲ λαμβανέσθω πᾶσα ὡς ἐν μεγαλοπρεπεῖ (§ 272). sed quoniam tamen aliquid interest, loci singuli afferantur: ἡ μεταφορά, ἡ εἰκασία, ἡ παραβολή, τὰ σύνθετα ὀνόματα ex gravi (§§ 78—92) in impetuosam formam delatae sunt (§§ 272—75). deinde in utraque forma proferuntur: ἡ συντομία (§ 103=252 αἱ σύντομοι περίοδοι). ἡ ἀποσιώπησις (§ 103 = 264). τὸ ποιητικόν (§§ 112—13 = 249).

sunt aliquot loci, qui tantum in gravi praecipiantur, in forma quarta desint: praecepta de rhythmo §§ 38—43 (haec olim in impetuosa inerant, sed videntur excidisse aut suppressa esse cf. § 145); ἡ δυςφωνία τῶν ὀνομάτων § 49. (hic locus quamquam in genere quarto neglectus est, levioris est momenti eum neglegi, quia τὸ δύςφθογγον τῆς συνθέσεως et ἡ κακοφωνία uberrime tractantur § 246 et §§ 254—58); τὸ τὰ ὀνόματα τάσσειν §§ 50—52. (quod praeceptum non in gravem modo formam cadit, sed ad totam spectat elocutionem). τὰ πεποιημένα ὀνόματα § 94. (haec in genere gravi [1]) cum »nominibus compositis« propter

[1]) in florida quoque forma coniunguntur inter se §§ 143—4.

similitudinem naturarum coniunguntur. itaque quoniam »nomina composita« in impetuosa forma afferuntur, vel minimum refert omitti »nomina facta«).

τό μὴ ἐπὶ τῆς αὐτῆς πτώσεως μένειν (§ 65) *τὸ ἐπιφώνημα* (§§ 106—111) *ἡ ἀνθυπαλλαγή* (§ 60)	hi loci vix quidquam valent ad formarum diversitates cognoscendas.
ἡ συνάφεια (§ 63) *τὸ πλάγιον* (§ 104)	hi loci plus valent.

deinde diversa praecepta dantur: *περὶ τοῦ μήκους τῶν κώλων* (§ 44 et §§ 241—43) et *περὶ τῆς περιαγωγῆς* (§ 46 et § 244). his quatuor proximis locis manifesto demonstratur: forma, quae *μεγαλοπρεπής* dicitur, desiderare multas coniunctiones, copiam verborum, varietatem in componendo, membra amplissima, extensos circuitus.

contra inter formae quartae locos esse hos videmus, qui in gravi non proferantur:

ut *δεινῶς καὶ στρογγύλως* pronuntietur (§ 248)
ἡ πυκνότης τῶν περιόδων (251).

ἡ ἀσάφεια (254)	*ἡ παιδιά* (259—62)
ἡ παράλειψις (263)	*ἡ προσωποποιΐα* (265)
ἡ κλῖμαξ (270)	*τὸ ἐρωτᾶν* (279)
ἡ ἐπιμονή (280)	*ὁ εὐφημισμός* (281)
τὰ Δημάδεια (282—85)	*τὸ ἐσχηματισμένον* (287—98)

ut *τὰ ὀνόματα πρεπόντως τοῖς πράγμασιν* elegantur (276).
natura *τοῦ δεινοῦ* satis ex his cognoscitur: ut res sententiaeque rotunde ac robuste componantur; ut crebri sint circuitus; ne obscuritas quaedam fugiatur; ut ioci adhibeantur. deinde grandis forma ab impetuosa aliquid distare intellegitur, quod opposita et similiter cadentia in forma grandi apta sunt (§ 29), in impetuosa vetantur (§ 247); atque quod in grandi *τὰ κῶλα* commendantur (§§ 44, 214), in impetuosa *τοῖς κώλοις τὰ κόμματα* praeferuntur (241). intellegimus ergo hanc formam minus aequabilitatem quam vehementiam desiderare, non aures concinnitate et soni magnificentia delectare, sed res breviter et robuste exprimere; contemnere morem componendi simpliciorem neque unquam periodorum artem intermittere.

atque quae de locis singulis disputans in universum protuli de generum naturis, melius et manifestius ex verbis auctoris ipsius intelleguntur, quibus naturas formarum illustrat. nam *τὸ μεγαλοπρεπές* ita fere, ut ab aliis rhetoribus, describitur a nostro: excipit libenter verborum maiestatem, dignitatem, multitudinem; elatum enim, magnificum, amplum est; idem vero asperum et abhorrens ab laevitate, gracilitate, subtilitate; contrarium ei est *τὸ μικροπρεπές* (vel *τὸ μικρολογεῖν*); vitium autem, quod ei vicinum est, frigus est (*τὸ ψυχρόν*), quod efficitur, si copia verborum nimis exaggeratur. *τὸ δεινόν* est impetuosum (274), correptum (248), audientes quodammodo percutiens (274); robore continetur dicendi, brevitate, duritate; inartificiosum est et terrificum (300): convicia profert (250, 301) et offensiones atque omnem acrimoniam quasi profitetur; nam irascitur (250, 299, 300) et vituperat (241); imperatorie se gerit neque res perspicue explanat (7, 254); laudando vero se abstinet (301) et elegantiam lepidam fugiens (300), contrariam se praebet formae floridae (258). itaque reicit pulchritudinem (252), amplitudinem (240), lenitatem (260); minime ludit (250, 300)[1]) neque rationem amat demonstrandi (400). vitium, quod ei est vicinum, *τὸ ἄχαρι* est, quod res turpes foedasque aperte proclamat et speciem habet discissam. nimisque asperam.

tum a d h i b e n t u r[2]) diversissime inter se hae duae formae. nam elucet quartae formae vehementiam ad contionum iudiciorumque strepitum aptam esse, primae vero magnificentiam magis ad libros, qui lectitantur; idem efficitur ex exemplis, quibus naturae illustrantur: inter exempla enim primae formae sunt:

XXIV exempla *τῆς γραφικῆς* orationis: X Thucydidea, VII Xenophontea, III Platonica, II Aristotelica, II Herodotea.

XXI exempla poëtica: XVIII Homerica, II dithyrambica, I Theognideum.

II oratoria: I Antiphonteum, Demosthenicum.

---

[1]) alibi sales conceduntur ei, id quod huic praecepto certe adversatur (§ 259 sqq.).

[2]) formas diversa *τέλη* spectare vel ex adnotatione auctoris supra citata intellegitur: *λέξις δὲ λαμβανέσθω πᾶσα ὅση καὶ ἐν τῷ μεγαλοπρεπεῖ, πλὴν οὐκ ἐπὶ τὸ α ὐ τ ὸ τ έ λ ο ς.*

in IV forma, (si excipis τὸ ἐσχηματισμένον, quod alienum ab hac forma esse re vera videtur) exempla sunt:

III τῆς γραφικῆς orationis: II Theopompica, I Antisthenis, I Xenophonteum.

IV poëtica: III Homeri, I Cratetis.

XXV oratoria: XVII Demosthenis, III Demadis, I Aeschinis, I Platonicum (e Menexeno) I Lysiacum, II ignotae orginis. accedunt II facete dicta Diogenis. quibus ex numeris exemplorum manifesto diversitas in adhibendis formis apparet.

tamen mihi quidem haud ita multum inter se diversae videntur. nam ut nominibus ordiar, num δεινός nomen contrarium est aut plurimum distans ab illis, quibus prima forma a rhetoribus appellari solet, ut μεγαλοπρεπής, μέγας, ἁδρός, ὑψηλός, βαρύς, αὐστηρός, ὑπερφυής? immo vero possit forma prima iure meritoque etiam δεινή vocari, aut forma quarta velut ἁδρά, vel αὐστηρά, vel βαρεῖα, vel ὑπερφυής vel denique μεγάλη.[1]) ceterarum vero formarum nomina inter se commutare non possumus. ex nominibus ergo ulla dissimilitudo formarum vix cognoscitur. deinde naturae formarum valde inter se consentiunt, etiamsi concedere oporteat compositionem gravem a compositione impetuosa aliquantum abhorrere. auctoris enim libelli π. ἑ. testimonia duo, quae supra tetigi, iterum afferantur ex quibus elucet formas illas esse simillimas eum iudicavisse: nam »res« vel »materia«, quae ad quartam formam conveniant, paene iisdem verbis describuntur, quibus »res« formae primae, quin etiam Theopompus utrisque loco citatur. sequitur ergo ad formam utramque easdem »res« quadrare. de »elocutione« impetuosa auctor libelli π. ἑ. tale iudicium paucis expressit, ut superfluum sit quaerere, quatenus haec congruat cum »elocutione« gravi: dicit enim (272) λέξις δὲ λαμβανέσθω πᾶσα, ὅση καὶ ἐν τῷ μεγαλοπρεπεῖ χαρακτῆρι. quibus ex testimoniis efficiemus res permultas easque gravissimas τὸν δεινὸν χαρακτῆρα cum gravi genere communes habere; ac deinde: vim naturamque τῆς δεινότητος genuinae paucis in rebus apparere.

---

[1]) adnotandum est illud nomen, quo solo forma in libello π. ἑ. appellatur, vel minimum in formam IV quadrare.

sed licet etiam ultra testimonia auctoris progredi. quid enim? quod dicitur forma quarta quodammodo irasci et conviciari, num irasci et conviciari forma μεγαλοπρεπής nequit? Quid? hic illic breviter et robuste incedere vetatur? num vehementiam et impetum ab ea abiudicabimus? quasi vero in his affectibus non summa magnificentia et sublimitas insit. nimis ergo minutum esset hanc vim hasque perturbationes soli formae quartae reservare.

contra ὁ δεινὸς χαρακτήρ libere et absolute ab ceteris adhiberi vix potest. nam quis ferat orationes audire hac forma tantum compositas? quis oratorem per contiones totas imperantem, vituperantem, conviciantem sustinere potest? aut quis ad talem deferat primas partes? quis denique orator versutus sic contionetur? opus est ergo oratori ad formam δεινήν admiscere dignitatem generis gravis vel simplicitatem attenuati, ut mera δεινότης hic illic emineat, non totam orationem impetu suo compleat.

ita altera ex parte forma gravis non expers est earum rerum, quae formae δεινῆς esse ab auctore dicuntur; altera ex parte forma δεινή ornamenta gravis aut subtilis generis desiderat, quibuscum in orationibus commisceatur.

ostendisse mihi videor inter formam gravem et impetuosam intercedere aliquantum similitudinis. in eo autem maxime diversae sunt, quod, ut auctor libelli π. ἑ. dicit, non idem spectant τέλος. nam videtur, ut supra contendimus, ἡ δεινή ad contionandum tantum pertinere, ἡ μεγαλοπρεπής in libris scribendis potissimum obtinere locum, ita ut hae formae iisdem rebus diversa in officia utantur.

ac censeo τὴν δεινότητα olim fuisse partem gravis formae, ab hac vero aliquando dissolutam esse et peculiari nomine affectam in quarto loco ceteris formis esse adiunctam. illa enim gravis forma olim omnia literarum genera complectebatur atque ad poëtas scriptoresque pedestres et ad oratores pertinebat. sed cum rhetores subtilius distinguerent inter gravitatem scriptorum, quae magnifica potius et ampla esset, et gravitatem oratorum, quae in impetu affectibusqua consisteret, huic oratorum gravitati novam formam accommodaverunt apud primam relinquentes poëtas scriptoresque pedestres. haec nova forma, quam δεινήν vocabant, carebat iis ornamentis, quae non proderant oratoribus, qui vel in contionibus

a plebe turbulenta circumsessi. acriter et dilucide loqui studebant vel in iudiciis propter breve spatium temporis ad dicendum concessi ambages verborum et exornationes magnificas mittebant, contra instruebatur forma quarta quibusdam virtutibus et luminibus insignibus, quae apta aut necessaria essent, ut oratores plebem moverent atque incitarent.

sic evenisse arbitror, ut ὁ δεινὸς χαρακτήρ induceretur, qui quamvis postea magnopere inverteretur et commutaretur, naturam generis gravis non abiciebat, sed manifesto cum forma prima se cognatum praebebat. quae coniectura confirmatur, si naturam formae gravis qualis sit apud rhetores ceteros, quaerimus. invenimus enim in rhetoricis ad Herennium, in Ciceronis libris rhetoricis, in libello περὶ ὕψους formam gravem nondum in duas species divisam esse, sed eandem continere ornamenta vimque τοῦ μεγαλοπρεποῦς χαρακτῆρος et τοῦ δεινοῦ. concludemus ergo genus illud universum esse divisum post horum aetates vel: libellum π. ἑ. compositum esse post rhetorem ad Herennium, post Ciceronem, post libellum περὶ ὕψους.

de rhetore ad H. pauca verba facio: nam forma gravis nimis breviter ab eo describitur.[1]) ornamenta non singulis formis tribuuntur; satis igitur sit dixisse ab rhetore illo arguto et curioso enumerari tres tantum formas.[2])

Cicero rem clarius explanat, praesertim cum τὸ ἐπιδεικτικὸν γένος antea removeat, oratorias tantum formas ad disputandum relinquat. atque elucet forma gravi oratoria contineri et coniungi naturas ornamentaque et τοῦ μεγαλοπρεποῦς χαρακτῆρος et τοῦ δεινοῦ. describitur enim his verbis (§ 20): »grandiloqui fuerunt

---

[1]) IV, 1. 8. § 11: gravis est. quae constat ex verborum gravium levi et ornata constructione . . . . in gravi consumetur oratio figura, si quae cuiusque rei poterunt ornatissima verba reperiri sive propria sive extranea ad unam quamque rem accommodabuntur, et si graves sententiae, quae in amplificatione et commiseratione tractantur, eligentur, et si exornationes sententiarum aut verborum, quae gravitatem habebunt, de quibus post dicemus, adhibebuntur.

[2]) IV, 8, 11: sunt igitur tria genera, in quibus omnis oratio non vitiosa consumitur.

cum ampla et sententiarum gravitate et maiestate verborum, vehementes, varii, copiosi, graves ad permovendos et convertendos animos instructi et parati; quod ipsum alii aspera tristi horrida oratione neque perfecta neque conclusa consecuti sunt, alii levi et structa et terminata.« — itaque duos modos enuntiandi statuit Cicero intra formam gravem; at non pares sunt elocutionis *μεγαλοπρεποῦς* alter, alter elocutionis *δεινῆς*. nam quis *τὸν δεινὸν χαρακτῆρα* libelli esse »non perfectum neque conclusum« dicat? sed prior modus dicendi minus artificiosus aut excultus, alter melius elaboratus et absolutior; velut iudicabimus Thucydidem priore modo, Ciceronem ipsum altero uti. — addo quosdam locos, e quibus appareat impetum *τῆς δεινότητος* huic formae Cicerone iudice non defuisse: § 87. »cursu magno sonituque fertur; huius (eloquentiae) est tractare animos, huius omni modo permovere« ctt. § 103. »nc vero hic erat unus ardor in nobis.« § 109. »ipse nusquam ab illa acerrima contentione discederem?«

ex locis hos enumerat, qui *τῷ μεγαλοπρεπεῖ* soli ab auctore concessi erant, *τῷ δεινῷ* non concessi: *τὰ ἀντίθετα καὶ παρόμοια* (cum sunt contrariis relata contraria aut idem verbum ad extremum refertur aut cum similiter vel cadunt vd desinunt).[2]) hos habet, qui auctor libelli *π. ἑ.* *τῷ δεινῷ* tantum addicit: *τὴν κλίμακα*,[3]) *τὴν παράλειψιν*,[4]) *τὸ ἐρωτᾶν*,[5]) *τὴν παιδιάν*,[6]) *τὴν προςωποποιΐαν*.[7]) paucis attingam unam rem, quam adhuc omisi: *τὸ πάθος* enim nonne mirum videtur ab auctore libelli *π. ἑ.* paene omnino neglegi? nam semel in gravi forma haec vox invenitur.[8]) at consideremus *τὸ πάθος* in forma ulla ad libros pertinente (velut in gravi) vix locum habere, genus vero unice oratorium —

---

[1]) brevissime formas illas tres Cicero in »de oratore« lib. III, c. 52 § 109 sqq. tangit.

[2]) Cic. or. cp. 39. § 134.

[3]) Cic. or. cp. 39. § 135.

[4]) Cic. or. cp. 40 § 138.

[5]) Cic, or. cp. 40 § 137.

[6]) Cic. or. cp. 40 § 138.

[7]) Cic. or. cp. 25 § 85.

[8]) § 57 *λαμβάνεται δὲ καὶ παθητικῶς πολλάκις ὁ σύνδεσμος.*

τὸ δεινόν dico — prope nihil esse nisi πάθος in formam χαρακτῆρος redactum. itaque vox πάθος ceteris in formis adhibenda non erat, in impetuosa superfluum erat eam commemorari. in ea forma gravi, quae nondum tantummodo ad libros, sed etiam ad contiones pertinebat, τὸ πάθος optimo iure a Cicerone commemoratur. neque vero est forma ipsa, sed formae quidam comes.

itaque videntur apud Ciceronem genus contionandi et genus epidicticum cohaerere et eiusdem formae gravis participes esse. an quis dubitat, quin genus oratorium, cuius exemplar Demosthenes iudicatur esse, »grave« a Cicerone habitum sit? nec minus grave est τὸ ἐπιδεικτικὸν γένος antea a disputatione remotum, cuius principem Thucydidem existimat. Demosthenem ergo et Thucydidem Cicero censet eandem formam gravem absolvisse ac perfecisse, neque iam ad oratorium genus formam peculiarem accommodavit. immo vero graviter eloqui, graviter animos movere et oratorem et scriptorem iudicat, illum gravibus orationibus, hunc gravibus descriptionibus.

sed rhetor ad Herennium et Cicero contionandi praecepta dederunt, quare fortasse non locupletissimi sunt testes. transeo ad libellum περὶ ὕψους.

atque nomen ὕψος eandem significationem habet atque ὁ ὑψηλὸς χαρακτήρ, latine: sublimitas; cuius ex descriptione satis intellegitur τὸν μεγαλοπρεπῆ et τὸν δεινὸν χαρακτῆρα nondum discissos fuisse. Volkmann [2]) τὸ ὕψος aliter intellegit, dicit enim: »τὸ ὕψος ist ihm (auctori) offenbar nur eine besondere Gestaltung der δεινότης.« quod mihi quidem non probatur. ex universa disputatione de naturis formarum effectum esse censeo, quantum intersit inter τὸ δεινόν et τὸ ὕψος. sed addam aliquot argumenta: τὸ δεινὸν praecipue in oratoribus cernitur; exempla τοῦ ὕψους unde literarum non repetuntur? τὸ δεινόν est forma plena affectuum; τὸ ὕψος affectibus omnino carere potest. τὸ δεινόν est contrarium τῷ ὄγκῳ; [3]) τὸ ὕψος saepe nihil est nisi ὄγκος

---

[1]) Cic. or. cp. 37—38.

[2]) Volkmann. Rh. d. Gr. u. R. pg. 552.

[3]) cf. § 36, ubi ὁ ὄγκος καὶ μέγεθος propria esse dicuntur τοῦ μεγαλοπρεποῦς, obversari τῷ δεινῷ. et § 247, ubi τὰ ἀντίθετα et τὰ παρόμοια a forma impetuosa ideo reiciuntur, quod τὸν ὄγκον efficiant.

vel: *ὁ ὄγκος* est species quaedam *τοῦ ὕψους*.[1]) per universa genera litterarum auctor quasi peragrat, ut exempla apta investiget, neque poesin prae oratione prosa neglegit neque *τὸ γραφικὸν γένος* prae rhetorica arte. ut aliquot numeros afferam: poëtica sunt exempla: XXVIII ex Homero, VIII ex Euripide repetita. prosaica: I ex Thuxydide,[2]) VII ex Xenophonte, XI ex Herodoto, XVIII ex Platone. rhetorica: XI ex Demosthene. longum est res singulas afferre, quibus opinio nostra demonstretur: pauca eligenda sunt. atque inter fontes illos quinque, e quibus *τὸ ὕψος* fluat, secundo loco *τὸ σφοδρὸν καὶ ἐνθουσιαστικὸν πάθος* est i. e. vehemens et incitatus affectus. necessario arbitratur auctor libri *τὸ πάθος* in fontibus *τοῦ ὕψους* ponendum esse neque vero par esse *τοῦ ὕψους*. Caecilium, quod illud omiserit, reprehendit auctor: *ἀλλ' εἰ μὲν ὡς ἕν τι ταῦτ' ἄμφω τό τε ὕψος καὶ τὸ παθητικὸν καὶ ἔδοξεν αὐτῷ πάντῃ συνυπάρχειν καὶ συμπεφυκέναι, διαμαρτάνει.* quare ab auctore oratores affectibus abundantes (ut Demosthenes) exemplaria *τοῦ ὕψους* censentur; neque vero soli oratores pathetici, sed etiam scriptores affectibus omnino carentes (ut Plato). nam suo iure Demosthenes laudatur, qui Ciceronem affectibus longe superet; [3]) citantur Demosthenis exempla, ut tertius [4]) et quartus fons sublimitatis (figurarum conformatio et elocutio) satis illustrentur. sed iuxta Demosthenem

---

[1]) VIII, 3 *παρά γε μὴν τοῖς ῥήτορσι τὰ ἐγκώμια καὶ τὰ πομπικὰ καὶ ἐπιδεικτικὰ τὸν μὲν ὄγκον καὶ τὸ ὑψηλὸν ἐξ ἅπαντος περιέχει, πάθους δὲ χηρεύει κατὰ τὸ πλεῖστον ὅθεν ἥκιστα τῶν ῥητόρων οἱ περιπαθεῖς ἐγκωμιαστικοὶ ἢ ἔμπαλιν οἱ ἐπαινετικοὶ περιπαθεῖς.* XII, 1: *ὁ δὲ καθεστὼς ἐν ὄγκῳ.* XV, 1: *ὄγκου καὶ μεγαληγορίας καὶ ἀγῶνος ἐπὶ τούτοις καὶ αἱ φαντασίαι παρασκευαστικώταται.* XXXI, 3 *πρὸς ὄγκον τε καὶ ἀξίωμα καὶ ὕψος·*

[2]) mirum forte videtur Thucydidem tantopere neglegi. sed temporum illorum sensus delicatus stilum illius acerbum et asperum repudiabat. notum est, qua acerbitate Dionys. Hal. Thucydidis elocutionem vituperet in libello de Thuc. hist. iud.

[3]) *π. ὕψ.* XII, 3—5. magni momenti hic locus est, quod Demostheni non modo impetus et vehementia, quales in forma IV insunt, tribuuntur, sed etiam quod auctor *τὴν δεινότητα* et *τὴν δείνωσιν* — his enim nominibus utitur — eius stilo inesse dicit.

[4]) extrema verba huius particulae sunt: *πάθος δὲ ὕψους μετέχει τοσοῦτον, ὅσον ἦθος ἡδονῆς.*

Plato praedicatur, qui non minus sublimis sit: *ὁ Πλάτων τοιούτῳ τινὶ χεύματι ἀψοφητὶ ῥέων οὐδὲν ἧττον μεγεθύνεται.*

sic quamvis argumenta pauca arcessita sint, tamen vix dubitabimus, quin genus oratorium particeps sit *τοῦ ἀληθοῦς ὕψους*, non minus autem particeps sit genus scribendi; vel: quin una cohaereant gravis forma dicendi et gravis forma scribendi. non censeo evenire potuisse, ut ante hunc librum scriberetur libellus *π. ἑ.* nam hae formae, si quando discretae erant — ac facillime discernebantur — vix unquam ab ullo scriptore ita tractari poterant, quasi nunquam inter se separatae essent.

quoniam demonstrare studui, post quam aetatem libellus, de quo quaerimus, scriptus sit, nunc ad finem argumentandi prope progressus sum. restat ut ostendam libellum *π. ἑ.* ante Hermogenem scriptum esse. quod veri simile est, quia ab Aristele et Hermogene doctrina formarum eversa est. deinde apud Hermogenem [1]) in lib. *περὶ ἰδεῶν δεινότης* quaedam invenitur, quae simillima *τῆς δεινότητος* in libello *π. ἑ.* traditae est.

quae in uno ordine cum his virtutibus enumeratur [2]): *ἡ σαφήνεια, τὸ μέγεθος, τὸ κάλλος, ἡ γοργότης, τὸ ἦθος, ἡ ἀλήθεια.* superior autem his *ἡ δεινότης* est, quoniam est *χρῆσις ὀρθὴ πάντων τῶν τε προειρημένων εἰδῶν τοῦ λόγου καὶ τῶν ἐναντίων αὐτοῖς καὶ ἔτι δὲ ὧν ἑτέρων σῶμα λόγου γίνεσθαι πέφυκε.* deinde duas species *τῆς δεινότητος* distinguit [3]): unam, quae a multitudine agnoscatur, alteram, quam ipse iudicat absolutam *δεινότητα* esse. illa vero a multitudine probata paene par est eius, quam auctor libelli probat. nam non modo est re vera *δεινή*, sed apparet etiam *δεινή*. cuius exempla sunt Demosthenis orationes Philippicae omnes et multae *τῶν δημοσίων* (pg. 392 Sp. Rh. Gr. II). describitur sic: *τοιγαροῦν ἔννοιαι μὲν τῆς τοιαύτης δεινότητος αἱ παράδοξοι καὶ βαθεῖαι καὶ βίαιοι καὶ ὅλως αἱ περινενοημέναι* (p. 392). . . . . . *μέθοδοί τε ὡσαύτως ὁπόσαι*

---

[1]) Aristides quoque enumerat *τὴν δεινότητα* inter *τὰς ἰδέας*; at haec ab ea, quam auctor libelli *π. ἑ.* habet, aliquantum abhorret.

[2]) cf. pg. 18.

[3]) tertiam quoque nimis minute addit, quae appareat *δεινή*, neque vero *δεινὴ* sit.

τε ἐοίκασι ταῖς προειρημέναις ἐννοίαις, λέγω ταῖς περινενοημέναις καὶ βαθείαις καὶ ἔτι πᾶσαι αἱ ἴδιαι τῶν τὸ μέγεθος ποιουσῶν ἰδεῶν, ὅθεν καὶ νομίζουσιν οἱ πολλοὶ ταῦτ᾽ εἶναι μόνον δεινότητα. καὶ γὰρ ἡ λέξις τούτων τῶν ἰδεῶν ἁρμόττει τῇ οὔσῃ καὶ φαινομένῃ δεινότητι. αἱ γὰρ σεμναὶ καὶ τραχεῖαι καὶ σφοδραὶ καὶ ὅλως αἱ τετραμμέναι δειναί τε εἰσιν ὡς ὄντως δι᾽ ἐνάργειαν, ὅτε τι πρᾶγμα δι᾽ ἐνεργείας σημαίνοιεν εἰς δέον παραλαμβανόμεναι, καὶ φαίνονται τοιαῦται διὰ τὸ αὐτό. σχήματα δὲ καὶ συνθήκη τά τε λοιπὰ ἐφεξῆς ἅπαντα οὐχ ὅσα δὴ πασῶν ἦν τῶν ποιουσῶν τὸ μέγεθος ἰδεῶν, ταῦτά ἐστι καὶ τῆς δεινότητος, ἀλλ᾽ ἅπερ τῆς σεμνότητος ἦν καὶ ἀκμῆς. λαμπρότητός τε καὶ περιβολῆς, μάλιστα δὲ τῆς ἰδέας ταύτης καὶ τὸ κατὰ συστροφὴν σχῆμα οἰκεῖον. δυνάμει γὰρ μεγάλῃ φύσει τε κέχρηται καὶ φαίνεται χρώμενον. (p. 393—94). vides hanc δεινότητα similem esse quartae formae libelli π. ἑ.; non parem, nam tribuuntur ei compluria ornamenta, quae potius ad τὸν μεγαλοπρεπῆ χαρακτῆρα libelli π. ἑ. quadrent. constat profecto Hermogeni eiusque aequalibus δεινότητα quandam fuisse notam et a multis genuinam iudicatam esse, quae prope ad τὴν δεινότητα nostri libelli accederet; non contendo Hermogenem libellum π. ἑ. spectavisse, sed ostendere volui (similiter atque in voce λόγιος) ea, quae Hermogenes ab aequalibus hominibus probari dicat, etiam ab auctore libelli π. ἑ. probari. quare haud scio an non multum auctor libelli π. ἑ. ab Hermogenis aetate afuerit.

adhuc de quatuor formis verba feci; nunc pauca de vitiis quatuor dicantur, quae quatuor formis respondent atque sunt earum quasi quaedam παρεκβάσεις. in libello π. ἑ. enim singulis formis singula vitia, quae illis vicina et propinqua sint, applicantur; id quod inter rhetores tantum diligentissimum illum rhetorem ad Herennium fecisse video. atque eadem ratione vitia disponuntur, qua formae ipsae. nam qualia πράγματα, qualis λέξις, qualis σύνθεσις singulis conveniant, constanter explicatur. antea de talibus vitiis pauca praecipiebantur: unum, τὸ ψυχρόν [1]) modo brevius modo fusius inde ab Aristotele tractatum est. rhetor ad

---

[1]) τὸ ψυχρόν in libello π. ἑ. uberius quam cetera vitia explicatur, quod antea ab ceteris rhetoribus elaboratum erat.

Herennium tribus formis tria apponit [1]) vitia: gravi sufflatum, mediocri dissolutum, tenui aridum.

in libro *περὶ ὕψους* [2]) compluria vitia ad *τὸ ὕψος* adiunguntur: *τὸ οἰδοῦν, τὸ μειρακιῶδες, τὸ παρένθυρσον, τὸ ψυχρόν.* Quintilianus vitia longe tractat neque vero cum formis coniungit,[3]) sed opponit quaedam vitia dicendi virtutibus et ornamentis quibusdam; enumerat enim (VIII, 3, 41—60): *τὸ κακέμφατον, τήν μείωσιν, τὴν ὁμοείδειαν, τὴν μακρολογίαν, τὸν πλεονασμόν, τὴν περιεργίαν, τὸ κακόζηλον, τὸ ἀνοικονόμητον, τὸ ἀσχημάτιστον, τὴ κακοσύνθετον, τὸν σωρισμόν.* quo in ordine frigus praetermittitur,[4]) commemoratur unum, quod in libello inest: *τὸ κακόζηλον.* itaque dispositius et accuratius et plenius auctor libelli *π. ἕ.* de vitiis scripsit quam ceteri rhetores, quos ante eum fuisse puto.

mittamus nunc praecepta communia, quibus in explicandis longum spatium consumpsimus; transeamus ad res singulas. unde etsi certum temporis punctum coniectura assequi non poterimus, tamen aetatem libelli *π. ἕ.* admodum seram esse suspicabimur.

primum enim qua tandem aetate ii homines erant, qui *ὡς προςθήκας κενὰς καὶ οἷον προςφύματα ἢ παραξύσματα* orationis flumini interponerent voces *δή* et *νύ* et *πρότερον* [5])? quos scriptores auctor § 55 reprehendit. manifestum est ad tantam barbariem non prius, qui libros conscribebant, descendisse, quam lingua Graeca ipsa foedissimis maculis inquinata esset.

deinde videntur etiam laudes nimiae ad Ctesiam delatae (§§ 209—16) ea tempora indicare, quibus rhetores inciperent perfectissima exemplaria stili neglegere et magis delectari priscorum hominum simplicitate rudi et inartificiosa.

rebus singulis perstrictis [6]) venio ad formam libelli tractandam atque considerabo usum verborum [7]) et verborum formam.

---

[1]) rh. ad. H. IV c. X, §§ 15—16.

[2]) *π. ὕψ.* cp. III—IV.

[3]) itaque non sunt *παρεκβάσεις* formarum.

[4]) vocem »frigidus« inveni IX, 3, 94: . . . frigida et inanis affectatio.

[5]) *πρότερον*, quod Gregor. Corinth. ex hoc loco servavit (Rh. Gr. W. VII, 1213) Muretus in *ποτέ* commutat.

[6]) de exemplis, quae ex declamatoribus repetita videntur esse, supra dixi pg. 10.

[7]) testimonia verborum repetivi ex Stephani, Passowii, Sophoclis lexicis. vereor ateum, ne aliquot verba, quae huc pertinent, me effugerint.

atque usus verborum si percurritur, commemorandum est nonnulla *ἅπαξ εἰρημένα* in libello π. ἑ. existere,[1]) deinde compluria verba, quibus alia notio a scriptoribus classicis subicitur, alia et ab hellenisticis et ab auctore libelli π. ἑ,[2]); gravissimum vero est, quod aliquot voces, quibus auctor utitur, propriae sunt aetatis hellenisticae. qua de causa hic ipse coniciendus est hellenistica aetate fuisse. enumerentur proinde tales voces, quas quidem invenerim:

1. ἀνάβλεψις π. ἑ. 195. Aelian N. A. 17, 29; Sept. Esai. 61, 1 Luc. 4, 19. Nil. 500 D [Patrol. Gr. LXXIX]. Sophrns. 3664 B (P. Gr. LXXXVII). 2. ἀνθυπαλλάσσω π. ἑ. 59. Philo II, p. 440, 38; 539, 22 (ed Mangey). Apollon. Dysc. de adv. 594, 27 [ed. Bekker]. 3. ἀνθυπαλλαγή π. ἑ. 60; Apollon. Dysc. de pronom. 291 E [Becker 1808] de coni. 502, 3 [ed. Bekker] de synt. 213, 20 [ed. Bekker]. 4. ἀποφθεγματικός π. ἑ. 9. Plut. Lyc. 19, Brut. 2. 5 ἀρκτικός π. ἑ. 56. Hephaest. 1, 17, 2 [ed. Gaisf.) Stob. Append. Floril. 376, 6 [Gaisf.] Apollon. Dysc. de pron. 309 B, 334 B, 367 A. de coni. 316, 33. Terent. Maur. 911. Porphyr. de prosod. 114 [ed. Villoison Anecdt. Gr. II]. 6. γνωμολογικός π. ἑ. 9. Theo Progymn. 206,9 (Rh. Gr. W. I) Thuc. vit p. XVI (ed. Bekker). 7. διαμόρφωσις π. ἑ. 195. Plut. Mor. 1023 C. Alex. 72. Clem. Alex. I, 308 (P. Gr. VIII). 8. διασπασμός π. ἑ. 68. Plut. Alex. 27. Artax. 7. Flamin. 8. Mor. 364 A. vit. Hom. 5 Euseb. praep. ev. p. 186 A. Patriarch, 1081 D (P. Gr. II). Septuag. Jerem. 15, 3. 9. δυςκατόρθωτος π. ἑ. 127. Chion. Ep. 15. Method. 80 B (P. Gr. XVIII). 10. δυςφωνία π. ἑ. 48. Poll. 2, 112. 11. ἐναναφανίζω π. ἑ.

---

[1]) *ἀδολεσχέτερος* (positivus *ἀδόλεσχος* Menand. monostich. 268. Plut. de garrul). *ἀτακτοτέρως* 53 (positivus apd. classicos) *εὐκατάστροφος* 10, *ξηροκακοζηλία* 239, *πολυηχία* 73, *προαναβοάω* 15. ex Hammero mutuor *συνειρμός* 180, *πρόςφυμα* 55, *παράξυσμα* 55.

[2]) λογικός apd priores: ad rem dialecticam, ad rem logicam portinens hic 1, 42, 117 prosus. id. apd. Dion. Hal. V. 64, 15 (Reiske ed.) Diog. Laert. 5, 85. λόγιος. de hoc nomine supra verba feci. περιαγωγή apd. priores: motus, conversio, orbis, circumductio, circumactio. hic (19, 45, 202, 244): rotunditas periodica. id. apd. Polluc. 4, 27.

39. Plut. Aemil. 36; comp. Arist. et Cat. mai. 1. Mor. 968 B. M. Anton. ad se ips. 2, 12; 5, 23; 6, 36; 7, 10. de sublim. 17, 2. Cleomad. 96, 7. Strab. 1, 3, 3. Philo II, 100, 27; 118, 18 Basil. Magn. III, 421 (P. Gr. XXIX). 12. κακοφωνία π. ἑ. 255. Galen 7, p. 35. Etymol. Magn. 809, 48. Strabo 13, 2, 4 (ed. Kramer) Apoll. Dysc. de coni. 495, 5. 13. καταληκτικός π. ἑ. 38, 39. M. Anton. 7, 13; 9, 42. Drac. 134, 7 (ed. Hermann). Hephaest. 4, 2, 3. Aristid. Quint. de music. 50 (ed. Meibom) 14. κατασμικρύνω π. ἑ. 44. Luc. Gall. cant. 4. Athen. 8, 359 A. M. Anton. 8, 36. Hierocl. apd. Stob. Floril. 84, 20. Philostorg. 3, 28, p. 491 (ed. Boissonade). Phot. epist pg. 36, 5 (ed. Montacut.) Porphyr de antr. nymph. § 28. Septuag. Reg. II, 7, 19. Max. Tyr. 88, 16 (ed. Dübner). 15. κυκλοειδής π. ἑ. 11. Plut. Mor. 1004 B. Athen. 7, p. 328 D Iren. 637 A. (P. Gr. VII). Hippolyt. ref. haer. 338, 28 (P. Gr. X), 16. λιθοβολέω π. ἑ. 115. Plut. Mor. 1011 E. Marc. 12, 4. Matth. 21, 35. Cram. Anecd. Oxon. II, p. 319, 10. Sept. Ez. 19, 13. Diod. 17, 41. 17. μονοσύλλαβος π. ἑ. 7. Herodic. apd. Athen. 5 p. 222 A. schol. Arist. Plut. 143. Anthol. Pal. Append. 45, 3. Dion. Thr. 641, 16. Dion. Hal. V, 104, 11. Drac. 19, 10 (ed. Hermann) Apoll. Dysc. de pron. 272 A. de adv. 566, 17. Hermog. π. ἰδ. 293, 12 (Rh G. W. IV). schol. Platon. 444 (ed. Bekker). Eustath. Il. 751, 55. 18. ὁλοκληρία π. ἑ. 3. Jambl. in Nicom. 47 B (ed. Tenullius) Diog. Laert. 7, 107. Plut. de stoic. repug. 17, 30. de commun. not. 11. Sept. Esai. 1, 6. Luc. Ast. Apost. 3, 16. 19. παραπληρωματικός π. ἑ. 55. Etymol. Mag. 382, 7 Eustath. Il. 52, 22. Dion. Thr. 643, 11; 27. Tryph. 36. Apollon. Dysc. de pron. 323 A, de coni. 515, 4 de synt. 26, 19. 20. προκαταρκτικός π. ἑ. 21, 38, 39. Plut. Mor. 1056 B. Galen II, 251 B (ed. Charterius) Clem. Alex. II, 592, 2 (P. Gr. VIII). Dioscor. Ther. II, p. 52 (ed. Sprengel) Hermog. II π. ἰδ. 364. Sopal. Diaer. p. 18, 1. (Rh. Gr. W. VIII). schol. Hermog. 342, 23 (Rh. G. W. IV). Sext. Empir. Pyrrh. 3, 16, p. 132, 21. συγκαταλήγω π. ἑ. 2. Gregor. Nyss. apd. Mai. Nov. Coll. Vat. VIII, p. 14, 33. 22. συμπεραιόω π. ἑ. Clem. Alex. 2, 9, 43 (P. Gr. VIII) Philo II, 374, 24. Stob. Floril. 108, 74. Phot. Bibl. 21, 8; 304, 8. Method. p. 346 (P. Gr. XVIII). 23. συνάφεια π. ἑ. 181.

Plut. Dem. 5, vit. Hom. 96. Aret. p. 131 D. Apoll. Dysc. de coni. 501, 11. Heliod. 4, 10. Herod. 579, 13 (Rh. G. W. VIII). Marius Victor 2, 8, 11; 3, 10, 7; 15. Terent. Maur. 1526, 2071. Hesych. s. v. τραπεζῆες. Moschion. 24. M. Anton. 4, 45. Nestor apd. Cyrill. Alex. X, 192 B (P. Gr. LXVIII). Cyrill. Al. X, 85 C. Hippolyt. adv. haer. 342, 50. 24. συναλοιφή π. ἑ. 70. Dion. Hal. V, 43, 117, 155, 160, 200. Apoll. Dysc. de coni. 495, 2. de adv. 550, 25. 585, 22. Drac. 27, 19, 157. Tryph. 24. Orig. VII, 309 D (P. Gr. XI). Caesarius 868 (P. Gr. XXXVIII). Gregor. Naz. I, 1073 (P. Gr. XXXV) Cyrill. H. 465. Hephaest. 2, 7. Gemin. 801 D (P. Gr. XIX). Sext. Emp. adv. math. 1, 161. Strab. 8, 370. Eustath. p. 1561, 6. Bekk. Anecd. II, 697, 24. addo nonnulla verba de vocibus κακόζηλος et κακοζηλία (§ 239; §§ 186 sqq.) quae vocabula temporibus pristinis haud usitata erant. primum enim apud Polybium (X, 25, 10) κακοζηλία legitnr, ubi est: prava aemulatio. postea per diuturnum tempus ex scribendi usu recedit.[1]) vitatur quoque ab rhetoribus, quorum opera extant: ab rhetore Herenniano, a Cicerone, a Dionysio Hal. postea iterum offertur in Senecae opp. rhett. (controv. 8, 28; suas. 2, 16; 7 pg. 55 [Kiessling ed.]) et in lib. περὶ ὕψους (3,4). pertritum vero Quintiliani aetate erat, qui saepius eo utitur;[2]) invenitur etiam apud Plinium (Ep. VII, 12), Suetonium (Aug. 86), Lucianum (de salt. 82), Hermogenem (π. εὑρ. pg. 231, 27. 256 sqq. Rh. G. Sp. II). aetate quoque auctoris tritum erat cf. § 239 *πολλάκις μέντοι τὸ μὲν διανόημα αὐτὸ ψυχρόν τί ἐστι καὶ ὡς νῦν ὀνομάζομεν κακόζηλον.* et 186: *καθάπερ δὲ τῷ μεγαλοπρεπεῖ παρέκειτο ὁ ψυχρὸς χαρακτήρ, οὕτω τῷ γλαφυρῷ*

---

[1]) Liers diss. 11, cui assentit Hammer p. 53, contendit ca. 150 a. Chr. Neanthem quendam περὶ ῥητορικῆς κακοζηλίας scripsisse. quae mentio, quia ex Eudociae violario hausta est, pro nihilo aestimanda est.

[2]) Quint II, 3, 9: nam tumidos et corruptos et tinnulos et quocumque alio cacozeliae genere peccantes habeo certum . . . laborare. VIII, 6, 73, quamvis est enim omnis hyperbole ultra fidem, non tamen esse debet ultra modum. nec alia via magis in cacozeliam itur. VIII, 3, 56. κακόζηλον, id est mala affectatio, per omne dicendi genus peccat. nam et tumida et pusilla et praedulcia et abundantia et arcessita et exultantia sub idem nomen cadunt. denique in cacozelon vocatur, quidquid est ultra virtutem, quotiens ingenium iudicio caret et specie boni fallitur . . est autem omne cacozelon utique falsum.

παράκειταί τις διημαρτημένος. ὀνομάζω δὲ αὐτὸν τῷ κοινῷ ὀνόματι κακόζηλον. quibus ex locis intellegimus ante auctorem libelli π. ἑ. illo nomine notionem communem et universam fuisse, auctorem vero illud nomen a notione universa ad peculiarem deduxisse et ad unum vitium detulisse, ad id nempe, quod formae floridae vicium est. quo ex usu nominis efficere licet: libellum π. ἑ. scriptum esse, postquam illud crebro ab rhetoribus adhibitum est. itaque usum verborum si spectamus, auctorem libelli π. ἑ. facile coniciemus aequalem scriptoribus hellenisticis fuisse; quibus, illo ex verborum indice accuratissime non apparet, quippe qui neque omnia verba huc pertinentia contineat neque omnia testimonia verborum re vera citatorum.

usu verborum perlustrato alterum argumentum gravissimum occurrit, dualis enim formam auctor adhibet (§ 36), de cuius usu Schmid [1]) haec dicit: »[Der Dual] ist von den Atticisten künstlich wiederbelebt: dem aeolischen Dialect sowie der Sprache des Herodot fehlt er ganz. Die Attiker haben ihn nicht selten, aber von Alexanders Zeit an schwindet sein Gebrauch: die κοινή, die Sprache des LXX. und des neuen Testamentes kennt ihn nicht mehr. Strabo braucht ihn jedenfalls nicht oft (im I Buche habe ich ihn nicht gefunden). Als etwas eigenthümlich Attisches wurde dieser Numerus wieder in den sprachlichen Apparat der Atticisten aufgenommen (Moeris p. 244: νῴ δυικῶς Ἀττικῶς, ἡμεῖς Ἑλληνικῶς) und wird uns bei allen diesen Autoren begegnen.« Christ [2]) non dubitare videtur, quin Dio Chrysostomus primus dualem in scribendi usum reduxerit: »als einer der ersten Verteter der attikisirenden Richtung hat er . . . entgegen dem Gang der natürlichen Entwickelung wieder alte, längst abgestorbene Formen, wie den Dual, einzuführen gesucht.« quod si rectum esset, quia dualis in libellum non fortuna vel errore irrepsit, sed consulto adhibitus videtur esse (ter enim § 36 usurpatur: ὥσπερ ἀνθέστατον καὶ ἀντίκεισθον ἐναντιοτάτω) sequeretur, ut libellus post Dionem Chrysostomum vel vivo Chrysostomo scriptus esset. nobis satis sit concludere libellum π. ἑ nequaquam ante atticistarum studia scriptum esse. — ad finem argumentum repetatur ex praeceptis,

---

[1]) D. Atticismus i. seinen Hauptvertretern 1887 p. 87—88.
[2]) Gr. Lit..Gesch. p. 525.

quae de hiatu auctor libelli π. ἑ. dat. nam, ut supra commemoravimus, tantum abest, ut auctor Isocratis severitatem in vitando probet, ut hiatu verborum meliorem et pleniorem sonum effici arbitretur. itaque non modo ipse admittit, sed etiam ut admittatur, diserte postulat; quin etiam explicat, qui modi hiatus in quibus formis dicendi aptissimi sint (§§ 68—74; 207; 299—301). quapropter H. de Rohden [1]) libellum π. ἑ. iis temporibus collocare videtur — v i d e t u r dico, nam aperte sententiam suam non profitetur — cum post sophistas hiatus vitandi studiosos (citat: Plutarchum, Galenum, Ptolemaeum, Aristidem, Appianum, Pausaniam, Callistratum, quamvis ex his alii alias rationes hiatus vitandi secuti sint) ii scripserint, qui hiatum consilio ac voluntate neglegerent (enumerantur Lucianus, Aelianus, Philostrati, Herodianus, Dio, Apsines). deinde libellum ante Cassium Longinum esse scriptum, qui illam licentiam submovens severiora iterum de hiatu praescipsisset. quam Rohdenii opinionem lubenter sequor, non tam quia plane ex mea re est, quam quod probabilem profecto iudico. an quibus potius temporibus illa de hiatu praecepta conveniant? quare etiamsi hoc ex argumento non id lucremur ut aetatem libelli π. ἑ. accuratissime enucleemus, tamen tota argumentatio nostra corroboratur. — de duobus argumentis, quae huc pertinent de σσ et ττ atque de comparationum frequentia supra verba fecimus. itaque ex f o r m a libelli idem concluditur, quod ex ceteris argumentis, nempe ut libellus saeculo II p. Chr. compositus sit, quamvis concedam eum »terminum ante quem« qui propter Aristidis et Hermogenis doctrinam de ideis antea constitutus erat, ex f o r m a libelli non cognosci.

---

[1]) H. de Rohden: de VII miraculis Bonn. 1875 pg. 87.

Auctor de vita sua.

Felix Beheim-Schwarzbach Ostroviae ad Filehnen anno h. s. LXVI die XVIII mensis Februarii natus sum patre Maximiliano matre Clara e gente Delbrueck. fidem profiteor evangelicam. literarum elementis in paedagogio Ostroviensi, quod avus venerabilis condidit et adhuc regit, sub oculis parentium carissimorum imbutus sum. anno LXXX contigit mihi, ut ab alma matre Portensi reciperer, cuius in tutela per IX semestria versabar. inter eos, qui me ibi instruebant, imprimis Volkmanno rectori, Bertramo tutori, Kettnero magistro gratias maximas ultra scholam semper servabo. maturitatis testimonio auctus Lipsiis stipendia merui, quibus peractis eadem in urbe et Berolini singula semestria consumsi. audivi vv. dd.: Biedermann, v. d. Gabelentz, v. Gizycki, Hermann, Lindner, Ribbeck, Robert, Schmidt, Wolff, F. Zarncke. vere anni LXXXVII Kiliam migravi, ut studia amplificarem et perficerem. audivi vv. dd.: Blass, Bruns, Foerster, Forchhammer, Jacobi, Glogau, Krohn†, Toennies, Vogt. adeptus sum, ut per unum semestre proseminario philologorum interessem, per IV, seminario, quae ab vv. dd. Blass, Foerster, Forchhammer dirigebantur; per IV exercitationes Brunsii, viri liberalissimi frequentavi, per III philosophicas adii Glogavii v. d.. quibus viris plus quam dici potest debeo atque quantum potero, gratias ut referam, operam dabo perpetuo. quod ad hanc dissertationem attinet, non modo ei, qui permisit, ut sibi dedicaretur, gratias summas ago, sed etiam Brunsio et Foerstero, praeceptoribus optimis, quod hac quoque in re benevolentissime me adiuverunt.

Sententiae controversae.

I.

In lib. *περὶ ἑρμηνείας*

§ 23 uncis includo „*ἡ ἀνταπόδοσις*“

§ 161 uncis includo „*πᾶσα δὲ ὑπερβολὴ ἀδύνατος*“

§ 12 conicio *ἡ τῶν Ἰσοκρατείων ῥητορειῶν* (pro *ῥητῶν*)

§ 226 inter *ὁποῖαι* et *οὐ πρέπουσιν* insero *διαλόγοις*.

II.

Auctorem „Rhetoricorum ad Herennium“ nego esse Cornificium.

III.

Ex iis, qui in curia Germanorum contionantur, principes illorum *χαρακτήρων* dicendi, quos Demetrius in lib. *περὶ ἑρμηνείας* constituit, iudico esse:

τοῦ μεγαλοπρεποῦς de Bennigsenum
τοῦ χαρίεντος Traegerum
τοῦ ἰσχνοῦ Windthorstium
τοῦ δεινοῦ de Bismarckium.

IV.

Aeschyl. Choeph. v. 711 (ed. Kirchhoff.) uncis includo.

V.

Signo marmoreo Musei Capitolini, qua Aeschylum exprimi Braun (Annal. dell' Inst. 1849 pg. 95 sqq.) dicit, Aeschylum effingi nego propter Aristoph. Ran. v. 822. (ed. Bergk.)